PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

TEXTUS ET DOCUMENTA

IN USUM EXERCITATIONUM ET PRAELECTIONUM ACADEMICARUM

SERIES THEOLOGICA

8

PHOTIUS ET ECCLESIA ROMANA

II.

A SYNODO ROMANA (869) USQUE AD DEPOSITIONEM PHOTII (886)

DOCUMENTA COLLEGIT ET NOTIS ILLUSTRAVIT

G. HOFMANN S. I.

PROF. IN PONT. INST. ORIENT. STUDIORUM

ROMAE

APUD AEDES PONT. UNIVERSITATIS GREGORIANAE

PIAZZA DELLA PILOTTA

—

1932

PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

TEXTUS ET DOCUMENTA
IN USUM EXERCITATIONUM ET PRAELECTIONUM ACADEMICARUM

SERIES THEOLOGICA
8

PHOTIUS ET ECCLESIA ROMANA

II.

A SYNODO ROMANA (869) USQUE AD DEPOSITIONEM PHOTII (886)

DOCUMENTA COLLEGIT ET NOTIS ILLUSTRAVIT
G. HOFMANN S. I.
PROF. IN PONT. INST. ORIENT. STUDIORUM

ROMAE
APUD AEDES PONT. UNIVERSITATIS GREGORIANAE
PIAZZA DELLA PILOTTA
—
1932

IMPRIMI POTEST

Romae, 30 Iunii 1932.

ADULFUS MARIOTTI,
Praep. Prov. Rom. S. I.

IMPRIMATUR

Romae, 15 Iulii 1932.

† IOSEPHUS PALICA,
Archiep. Philipp., Vic. Ger.

ROMAE – EX SCHOLA TYPOGRAPHICA « PIO X » VIA ETRUSCHI 7-9

PRAEFATIO

In hoc II volumine specimina ex actis synodalibus et epistolis Hadriani II Papae (867-72), ex synodo Photiana (879-80) et epistolis Iohannis VIII Papae (872-82) edentur, praeterea ex epistola Stephani V Papae (885-91). Adiungitur pars tractatus, quem Photius contra Primatum scripsit, et epistola penitus falsificata Iohannis VIII ad Photium de « Filioque ». Ne volumen sit nimis extensum, debuimus proh dolor ab editione argumentorum historicorum Photii contra Processionem Spiritus S. ex Patre et Filio abstinere.

1. Ut ad documenta *singula* transeamus, primo loco in documentis *Synodus Romana* (initio iun. 869) considerabitur. *Quinque Capitula* huius concilii edemus (docum. N. 1). De *tota* synodo hos fontes conferre potes: *a*) Allocutiones HADRIANI II ad synodum et responsiones synodalium, 5 capitula. Denuo in actione septima Concilii VIII relatae. MANSI XVI, 122 C-131 C; (epitomator graecus) 372 B-380 C. MIGNE PL 129, 105 D sqq.

b) Vita HADRIANI II. DUCHESNE, *Liber pontificalis* II, 179.

c) ANASTASIUS BIBLIOTHECARIUS, *Praefatio in Concilium VIII Oecum.* PERELS-LAEHR (*Monumenta Germaniae Historica,* Epistolae, VII). 408; MANSI XVI, 7 B; MIGNE PL 129, 15 B sq.

d) Epistolae HADRIANI II, 10 iun. 869 ad BASILIUM imperatorem. PERELS 757; MIGNE PL 122, 1289 A.

e) Epistola HADRIANI II ad S. Ignatium patriarcham 10 iun. 869 (docum. N. 3); aliam epistolam, in qua decreta praedecessoris Nicolai I inculcat, 1 aug. 868 (doc. N. 2).

De synodo Romana 869, de legatis byzantinis, qui eidem interfuerunt, de epistolis HADRIANI II ad Basilium et S. Ignatium cf. HERGENRÖTHER, *Photius* II, 28 sqq.; HEFELE-LECLERCQ, *Histoire des Conciles* IV, 1: 468 sqq.

2. Ex actis *Concilii VIII Oecumenici* partem *libelli satisfactionis* sive *Professionis Fidei* (Actio I), *responsum obstinatum Photii* (Actio VII), *canonem* II (Actio X) in medium afferemus.

De his documentis tractaverunt HERGENRÖTHER, *Photius* II, 75 sqq., HEFELE-LECLERCQ IV, 1: 486 sqq.

3. *Iurisdictio ecclesiastica in Bulgaria* non fuit solum a Photio, sed etiam a Ignatio patriarcha usurpata. Iam HADRIANUS II propterea de Ignatio conqueritur, sicut quondam legati romani in congressu politico-ecclesiastico Byzantino tribus diebus post Concilium VIII habito protestati sunt. Cf. Fragmentum epistolae HADRIANI II ad Ignatium patriarcham, anno 871; PERELS 762, MANSI XVI, 413, MIGNE PL 122, 1311. HADRIANUS II ad Basilium imperatorem 10 nov. 871; PERELS 759-761; MANSI XVI, 206, MIGNE PL 122, 1309. — HERGENRÖTHER II, 149 sqq.

Ioannes VIII Papa sub poena excommunicationis Ignatio aprili 878 praecepit, ut infra 30 dies clericos graecos a Bulgaria removeret. Docum. N. 5. Haec epistola ad manus S. Ignatii non pervenit, immo fuit scripta ante mortem patriarchae (23 oct. 877). HERGENRÖTHER II 300-301, 286 sqq.

3. *Restitutio conditionata Photii.*

Conditiones pontificiae pro restitutione Photii possunt disci ex documentis N. 6 et 7. Motiva Papae pro hac indulgentia videbis in doc. N. 8.

Ex altera parte artes PHOTII in *falsificationibus,* quas in versionibus graecis epistolarum et commonitorii Pontificii (N. 9) pro legatis Romanis peregit, poteris ex locis parallelis doc. N. 6, 7, 9 appositis vel notatis cognoscere. Immo ex toto decursu synodi Photianae (879-80), cuius canones et decreta caracteristica in doc. N. 10 apponemus, idem menti studiosi patefiet.

De *conditionibus* restitutionis Photii cf. HERGENRÖTER II, 382 sqq.; HEFELE-LECLERCQ IV, 1: 564 sqq.

De *falsificationibus* Photii cf. HERGENRÖTHER II, 396 sqq. In editione CASPAR 166-186 discrepantiae inter textum authenticum latinum et versionem graecam adulteratam Photii iam ex forma externa typographica optime ante oculos ponuntur.

Alia dicta epistola IOANNIS VIII ad Photium de « Filioque » est sat tardius, probabiliter saec. XIV ab anonymo penitus falsificata, id quod a HERGENRÖTER II, 541 sqq. et IUGIE (Theologia Dogmatica) I, 251-54 demonstratum est.

Iudicium IOANNIS VIII de synodo Photiana ex doc. N. 12 legenti patebit. Cf. quoque: IOANNES VIII Basilio imperatori, 13 aug. 880; CASPAR 229-30, MANSI XVII, 186, MIGNE PL 126, 909. MARINI I Papae (882-84), quondam legati Sanctae Sedis in Concilio VIII, et STEPHANI V (885-91) iudicia possunt ex doc. N. 13 saltem coniici.

4. Inter annos 883-86 Photius de novo dogma Processionis Spiritus S. impugnat, ca. 883-84 in epistola ad archiepiscopum Aquileiensem (MIGNE PG 102, 793 B-821 B) et ca. 885-86 in eius ultimo opere theologico *Spiritus S. Mystagogia* (MIGNE PG 102, 279 A-392 A).

In fine huius voluminis (doc. N. 14) aliqua capita sunt edita ex tractatu Photii *contra Primatum* ca. 869 (?)

Post mortem Basilii I imperatoris (aug. 886) Photius a novo imperatore Leone VI definitive depositus est. Mortuus est ultimo decennio saeculi IX. Patriarcha Ioannes *Beccus* Photium appellat: « πρῶτος εὑρετὴς καὶ γεννήτωρ τῶν κατὰ τῆς Ῥωμαικῆς Ἐκκλησίας ἐφευρημάτων προτάσεων » inventor primus et parens propositionum, quae adversus Romanam Ecclesiam concinnatae sunt (MIGNE PG 141, 96 B).

DOCUMENTA

Textum epistolarum HADRIANI II, IOANNIS VIII, STEPHANI V ex « *Monumenta Germaniae Historica.* Epist. VI (PERELS), VII (CASPAR) » desumpsi, textum graecum tractatus « *Ad eos, qui dicunt Romam esse primam cathedram* » ex ΡΑΛΛΗ-ΠΟΤΛΗ, Σύνταγμα, IV; caetera ex MANSI XVI, XVII A. Versiones latinae, quas revidi, sunt depromptae ex MANSI, BEVERIDGE, IUGIE.

1.

Synodus Romana.

Iunio 869.

5 Capitula contra Photium.

MANSI XVI, Actio septima concilii VIII, 128 C-130 B. MIGNE PL 129, 112 D-114 C.

I.

Concilium vanitatis [1] a Photio et huius fautore Michaele videlicet tyrannice imperante, Constantinopoli nuper adversus apostolicae sedis reverentiam et privilegium congregatum, utpote veritatis inimicum et omni falsitate repletum, quin et sibi consentientium animas interficiens, Ephesino latrocinio comparandum fore statuimus, et ipsius execranda gesta, quibuscumque habeantur monumentis inserta, summi iudicis domini nostri Iesu Christi sanctorumque apostolorum principum Petri et Pauli nostraeque mediocritatis auctoritate, penitus abolenda decernimus, ita ut

---

[1] synodus Photiana 867.

igni voranda tradantur, et anathemate perpetuo percellantur. Similiter de ceteris scripturis, quae, viris iam nominatis auctoribus, contra eandem Sedem tempore diverso sunt editae, gerendum modis omnibus definimus.

II.

Pari etiam modo de conventiculis [1] ab eisdem viris, Michaele scilicet imperante, seu Photio Constantinopolitano invasore, bis adversus fratrem et coepiscopum nostrum Ignatium factiose collectis, deliberamus, haec videlicet tamquam parricidalia medullitus execrantes.

III.

Photium, qui, licet sit a decessore meo et a nobis pro criminibus ante patratis iure damnatus et anathematizatus, nunc tamen, quia recentioribus excessibus priores iniquitates valde transcendit, et ponens in caelo os suum adversus veneranda Sedis Apostolicae privilegia nova temeritate prorupit, dum scilicet ordinationi supernae, in beati Petri apostoli principatu dispositae, resistere minime formidavit, et in cathedra non sanitatis, sed pestilentiae [2] sedens, congregavit conventicula [3] de sanguinibus, cum videlicet sibi faventium simpliciorum animas interfecit, et utpote inventor mendacii et fabricator perversorum dogmatum, nonnisi falsitatis praestigia et omnis mendacii figmenta solito more congessit, atque tam contra decessorem meum sanctae recordationis papam Nicolaum, quam etiam contra nos, ac per illum, in apostolicum culmen nec iniqua garrire fauce trepidavit, nec manus obvias, quod nemo unquam praesumpsit, audacter extendere formidavit, apostolicae auctoritatis censura iterato damnamus, et pro his specialiter anathematis nexibus innodamus, hunc scilicet cum Dioscoro, cuius in hoc imitator extitit, merito sociantes, et sanctae magnae Chalcedonensi synodo, in tam pernicioso puniendo praesumptore, per omnia concordantes. Sane

---

[1] synodis aestate 859 et maio 861 in ecclesia SS. Apostolorum habitis. — [2] cf. Ps. I, 1. — [3] cf. Ps. XV, 4.

si viva voce ac proprio scripto nobis in omnibus, quae tam per nos quam per decessorem meum statuta sunt, obedire spoponderit, et praedicti profani conciliabuli, ad satisfactionem poenitentiae motus, gesta damnaverit, laicae communionis ei gratiam non negamus.

IV.

De iis vero, qui eidem impio conciliabulo consenserunt, vel subscripserunt, si decreta decessoris mei secuti fuerint, et ad reverendi patriarchae Ignatii communionem repedaverint, atque idem conciliabulum anathematizaverint, atque monumenta illius, vel exemplaria inventa cremaverint, ecclesiae communione fruantur; alias autem ne hac digni reperiantur.

Sane filium nostrum Basilium, clementissimum et orthodoxissimum imperatorem, quia et illius nomen in eiusdem profani conciliabuli gestis, ut ipsius et sanctissimi Ignatii patriarchae legatorum relatione didicimus, falso adscriptum est, et in omnibus eum apostolicae sedis constitutionum diligentissimum conservatorem esse cognovimus; non solum ab omni sinistra sententia extraneum reddimus, verum etiam inter catholicorum et piorum Augustorum numerum et nunc recipimus, et si sic perseveraverit in finem, recipiendum statuimus.

V.

Ergo quamdiu post notitiam huius apostolicae sanctionis sibi perlata monumenta vel exemplaria gestorum ipsius execrandi conciliabuli penes se quisquam retinens celaverit vel defenderit, et non potius propalaverit vel igni tradiderit, tamdiu anathemate constrictus communionis Christi munere careat; quin immo, si clericus est, qui postmodum haec vel celare vel defendere convictus fuerit gradum, quo patiebatur amittat; similiter et de illo statuimus, qui haec occultare putatur, et ipse hinc impetitus nec respondere, nec deretis apostolicae sedis in hac parte parere consenserit, quae non solum de Constantinopolitanis, sed et Alexandrinis, Antiochenis, Hierosolymitanis, atque de omnibus omnino fidelibus apostolica sanctione decernimus.

Hadrianus episcopus servus etc. catholicae et apostolicae romanae ecclesiae his sententiis nostris a nobis promulgatis, sicut superius legitur, manu propria subscripsi.

Ioannes archiepiscopus Pergae Pamphyliae apocrisiarius sanctissimi Ignatii patriarchae Constantinopoleos, locum et personam eius retinens et totius sanctae synodi, quae sub ipso est, propositis sententiis conscripsi et subscripsi manu propria.

Sequuntur subscriptiones 29 episcoporum, 1 delegati episcopi Urbinensis, 10 presbyterorum « cardinalium », 5 diaconorum.

2.

Hadrianus II Papa S. Ignatio.

1 Aug. 1868.

Hadrianus papa in decretis Nicolai praedecessoris stat firmus, Theognostum et Euthymium commendat.

Perels 748-750 ; Migne PL 122, 1277 ; Mansi XVI, 121 (cf. 370).

Hadrianus episcopus servus servorum Dei honorabilissimo fratri et consacerdoti nostro Ignatio sanctissimo Patriarchae Constantinopolitano.

Convenerat sanctitatem tuam, licet nos ad sui adiutorium primum minime provocaverit, saltem nunc super restitutione sua, quae facta dicitur, laetificare nos anhelans proprias nobis litteras destinare. Verum licet hoc minus studueris agere, saltem gratiam divinae miserationis, quae in te mirabiliter operata est, non taceres. Secretum [1] enim regis, secundum quod ab angelo Tobiae dicitur, celare bonum est, opera vero Dei enarrare mirificum. Verumtamen consolatur nos conscientia, quae non tantum nos, quantum apostolicae memoriae decessorem meum beatissimum papam Nicolaum non tam pro te quam pro caritatis custodia decertasse testatur. Si enim qui diligunt [2] nos tantum dilexerimus, quam mercedem habebimus? Et quoniam frater

---

[1] Cf. Tob. XII, 7. — [2] Cf. Matth. V, 46.

noster es, si viderimus te necessitatem habere et clauserimus [1] viscera nostra a te, quomodo karitas Dei manet in nobis? Igitur scito, quia in his, quae decessor meus sanctae memoriae papa Nicolaus pro persona tua et his, qui tecum in tribulationibus non defecerunt [2], insuper et pro ecclesia Constantinopolitana plurimum laborans statuit et diffinivit, et nos similiter manemus et permanebimus; et, sicut ipse usque ad horam mortis suae tam pro te quam his, qui tecum sunt, et praefata ecclesia nequaquam cessavit procurans, ita et nos auctore Deo usque in finem in opere pietatis huius nulli torpori dabimus operam; debemus enim ipsius sequi laborem [3], cui gratia Dei successimus in honore.

Praeterea communem filium Theognostum [4] reverentissimum exarchum et dilectum nobis ecce ad vos transmisimus, qui ex persequentibus aemulatores tuos illinc nudus salvatus, quin et mutato habitu vix huc pertingens vitam lucratus est. Deinde apud memorias apostolorum per septem ferme annorum curricula ut hospes et advena demoratus non tantum propriam miseriam quantum sanctitatis tuae pressuram et Constantinopolitanae ecclesiae calamitates pene incessanter deflebat, ita ut non solum antea iam dictum decessorem meum, sed et me postea nocte ac die indeficienter erigere et pro statu tantae ecclesiae et erectione vestra crebris nostra suasionis stimulis latera percutere et, quemadmodum angelus quondam [5]: Surge, Petre, accipe fortitudinem ad salvandas gentes, per singulos dies nobis dicere non cessaret, quousque auditu Deo praestante suscepit, quod ardenter semper in pectore baiulabat.

Qua de re, frater dilectissime, sanctitati tuae hunc commendantes rogamus et deprecamur, quatinus circa se sentiat beneficii tui propositum et, sicut vestrae factus est communicator passionis, ita sit et consolationis; etenim [6] « dignus est operarius mercede sua ». Non autem ut familiaris noster factus, sed et ut a sede principis apostolorum susceptus hic debet ob amorem eius non qualemcunque in conspectu sanctitatis vestrae

---

[1] Cf. 1 Ioh. III, 17. — [2] Cf. Eph. III, 13. — [3] Decretum Siricii papae; MIGNE PL 67, 231. — [4] Theognostus S. Ignatio fidelis. — [5] Cf. Act. XII, 7. — [6] 1 Tim. V, 18.

gratiam invenire. At vero si ad apostolicam sedem quosdam mittere disposueris, hunc specialiter volumus prae ceteris mitti, ut et de prosperitate tua, quemadmodum et optamus, gratificare et dispositionem et ordinem et causam ecclesiae Constantinopolitanae secundum diligentiam, quam de omnibus nos ecclesiasticis negotiis certissime scire velle cognoscit, apostolatui nostro referre maturet. Commendamus autem sanctitati vestrae et Euthymium [1] gloriosissimum spatharium, qui Romam imperialem ferens legationem primus nobis et ecclesiae nostrae de fraternitate vestra quod semper optavimus annuntiavit et divinam circa te misericordiam et sanctitatis tuae recuperationem innotescens omnes gratulabundos effecit. Pro quo rogamus, ut et iste sentiat in oportunitate praesidium vestrum et affectu amoris nostri protectionis vestrae solamina consequatur.

Optamus sanctitatem tuam nunc et semper bene valere, dilectissime frater et comminister.

Data kalendis Augustis indictione prima.

3.

Hadrianus II Papa S. Ignatio.

10 Iun. 869.

Decreta pontificia Nicolai I et Hadriani II de causa Photiana, commendatio Iohannis metropolitae.

Perels 750-754; Migne PL 122, 1282; Mansi XVI, 50 (cf. 327).

Hadrianus episcopus servus servorum Dei reverentissimo et sanctissimo confratri et comministro nostro Ignatio Patriarchae Constantinopolitano.

Nec scriptura pandere [2] nec profecto lingua sufficit enarrare, quanta, o dilectissime frater, pro ecclesiae Constantinopolitanae statu atque pro tua specialiter erectione certaminum palestras decessor meus sanctae memoriae papa Nicolaus cum subiecta sibi ecclesia indesinenter exercuit et usque ad melioris vitae transitum toleravit, adeo ut in ipso suae migrationis ar-

[1] qui aestate 868 Romam advenit. — [2] Cf. Eccl. XVIII, 2.

ticulo pro commendanda causa tua vel ecclesiae divinitus tibi commissae nec scribendo sibi pepercerit, nec pro hac, si non loquendo, saltem innuendo cessaverit, donec officium dumtaxat oris amitteret et oculos penitus obseraret. Cuius affectum et nos quoque sumentes, sicut divina gratia ei successimus in honore, ita merito successimus [1] in labore et, sicut sudorum eius et dispositionum tunc extitimus communicatores, ita quoque nunc optamus et satagimus esse in cunctis observatores.

Quanto vero gaudio quantaque sumus exultatione repleti percipientes auditu, quod de sanctitatis tuae recuperatione iugi gestabamus affectu, nec os exprimere nec calamus praevalet exarare [2]. Unde benediximus Deo et totius cordis iubilatione laudavimus, excitanti videlicet dilecti filii nostri Basilii principis et augusti ferventissimum spiritum non solum ad vindictam malefactorum, verum etiam ad laudem bonorum, scilicet qui eripuit ecclesiam Dei, dum cotidie, quia non consensit adultero, traheretur tam ad corporis quam ad animae mortem, instar utique Danihelis sancti castissimam eripientis Susannam a sententia mortis, quam impudici presbyteri, « qui [3] videbantur regere populum » Domini, non autem regebant, sed potius Photii more perdebant, nequiter extorserunt. Praeterea quae praefatus apostolicae recordationis pontifex regulariter ac synodice tam de schismatico et moecho Photio et ordinatione, immo execratione ipsius atque Syracusano Gregorio quam etiam de te specialiter et de compatientibus tibi sanxerit et diffinierit, tenore valebis eius epistolarum, quas super his diverso tempore Constantinopolim destinavit, patenter ediscere. Verum si ad notitiam tuae beatitudinis non pervenerunt, a missis nostris has accipiens ad instructionem tuam et monumentum futurorum reserva, cognoscens interim et certissime sciens nos a decretis eius nullomodo discessuros, sed eius sicut locum, ita et studium possidentes ipsius, quantum ratione magistra possumus, vestigia securos, quatenus ad lucernam [4] mandatorum eius in huius caliginosi saeculi loco gradientes inoffensis pedibus Deo duce incedere valeamus.

---

[1] Decret. Syricii papae. MIGNE PL 67, 231. — [2] Cf. Ps. CL, 5. — [3] Dan. XIII, 5. — [4] Cf. Prov. VI, 23.

Quamobrem et in his, super quibus a nobis dispositiones et discretiones exigis, nil sequendum praeter eius divinitus inspirata decreta conspicimus, prae omnibus et super omnia Gregorium Syracusanum et Photium tyrannum et quos idem Photius in gradu quolibet ordinasse putatus est ab episcoporum numero vel dignitate, quam usurpative ac ficte dedit, merito sequestrantes. Primo, quia Photius Maximo [1] et ordinatio eius vel potius execratio istius ordinationi pene in cunctis videtur esse simillima. Secundo, quia sic se habet per decessorem meum apostolicae sedis decretum, cuius iudicium nusquam praecipiunt sacri canones retractari, dum tamen censeant eam aliorum quoque renovanda seu diffinienda negotia perscrutari, nosque convenit, ut praetulimus, eius in omnibus constituta sectari. Tertio, quia Photius vir forensis, curialis, neophytus, invasor atque adulter necnon et anathemate condempnatus existens nihil [2] habuit, nihil dedit, nisi forte damnationem [3], quam habuit, se sequentibus propinaverit. Photio certe praesidente auctore dictum est ab anathematizatis: Consecratus non solum non accipit spiritum sanctum, sed et quod ante habuit, si tamen habuit, aufertur ab eo. Verum quamvis hoc tyranni Photii sit dictum favore ipseque super huiusmodi sententia delectatus cum male a se promotis ei consensum praebuerit, quamvis etiam non his, de quibus hoc frustra dictum est, valeat coaptari: quia tamen veraciter dictum est, eorum magis damnationi procul dubio congruit, qui ab anathemato et damnato Photio per [4] impositionem manus non lucrum, sed vulnus in capite susceperunt. In quo ergo iudicio iudicaverunt, secundum evangelium [5] iudicandum est de eis et, in qua mensura mensi sunt, est eis utique remetiendum atque pro magno illis habendum, si saltem sero ad te pastorem suum, quem post Christum olim iam et per Christum utique consecuti sunt, repedantes ac sine maiori temporalique promotione Domino contrito [6] corde humiliatoque spiritu famulantes bona studuerint expectare futura.

---

[1] qui fuit in concilio II 381 condemnatus; Migne PL 67, 172 c. 165. — [2] Nicolaus I, epist. ad Michael III; Perels 497. — [3] Cf. Innocentius I, decr. c. 53; Migne PL 67, 259. — [4] Cf. Innoc. I, Migne PL 67, 259. — [5] Cf. Matth. VII, 2. — [6] Cf. Ps. L, 19.

Ceterum de Paulo Cesariensi [1], de quo sermo a te multus est habitus [2], interim quod de ceteris, qui a Photio promoti sunt, decrevimus, observandum iure statuimus. Praeterea persecutionum tolerantia vel palestrae certaminum, quas adversus tyrannum vel moechum pro veritate multipliciter exercuisse testaris, suam habent profecto mercedem et immarcescibilem [3] praestolantur a caelestium bonorum largitore coronam. Sane cetera ecclesiae beneficia largissime consequatur et honore competenti tam apud sanctimoniam tuam quam penes omnes merito perfruatur. De his autem sacerdotibus vel clericis, qui a beatae memoriae patriarcha Methodio vel a sanctimonia tua consecrati sunt, haec forma servabitur, ut, siquidem sunt inter eos, qui gratia Dei confortante invasori Photio restiterunt per nullumque modum in inhonorantiae vel contumeliae fraternitatis tuae aut putativae depositioni communicaverunt, sed et varias tecum ob hoc tribulationes et exilia, quin et depositiones pertulerunt, hos beatos et ter beatos dixerim et inter Christi confessores connumerandos decreverim: adeo ut habeant insignem in ea, quae apud vos est, ecclesia locum et praecipua circa dilectionem tuam fiducia perfruantur, ita ut secundum multitudinem dolorum ipsorum consolationes [4] tuae animas eorum laetificent, more scilicet Dei, qui reddet [5] singulis secundum opera ipsorum. Porro ceteris, qui ex consecratione fraternitatis tuae sunt et sive sponte sive vi sese ad Photium contulerunt, si sub satisfactione libelli, cuius exemplar missis nostris commisimus, ad te remeaverint, quamvis contra professionem vel subscriptionem suam egerint ac multipliciter adversus summum sacerdotium tuum et in contemptum apostolicae sedis exarserint, generaliter eos in suis gradibus confirmantes ignoscendum decrevimus. Discipuli enim sumus mitis et misericordis magistri, qui apostolorum principe teste [6] passus pro nobis nobis reliquit exemplum, ut sequamur vestigia eius, qui peccatum non fecit, ut nos scilicet, nec inventus est dolus in ore ipsius; et tamen,

[1] Caesareae Cappadociae. — [2] Cf. Ign. epist.; MIGNE PL 129, 62. — [3] Cf. 1 Petr. V, 4. — [4] Cf. Ps. XCIII, 19. — [5] Cf. Matth. XVI, 27. — [6] Cf. 1 Petr. II, 21-23.

cum malediceretur, non remaledicebat et, cum pateretur, non comminabatur.

Si qui autem ex his sunt, qui aliter vel in Deum vel adversus constituta patrum, quia et ipsa Dei spiritu prolata consistunt, deliquisse vel excessisse probantur, hos volumus adhibita sibi nostra quoque auctoritate a pontificio tuo regulariter examinari et paternis diffinitionibus amodo et deinceps omnino summitti. Cum enim beatus Petrus Domino non dicat: Si peccaverit [1] in te, sed in me frater meus, dimittam ei usque septies, apte datur intellegi ea nos fratribus impunita posse dimittere, quae in nos, non quae in Dominum vel in dominica constituta patrantur. Dicit enim scriptura: [2] Si peccaverit homo in hominem, rogabit pro eo sacerdos; si autem in Deum peccaverit, quis rogabit pro eo? Sane hos, qui in nefando conciliabulo [3], quod in iniuriam et derogationem sedis apostolicae Constantinopoli factum est, voluntarie subscripsisse probantur, cuiuscumque sint ordinis vel professionis, nulla venia dignos esse, nisi multa miseratio eiusdem, quam laedere nisi sunt, apostolicae sedis occurrat, evidentissime ratio docet et multifaria maiorum sanctio manifeste demonstrat. Quin et universalis Chalcedonae habita synodus adeo huiusmodi temeritatem detestata est, ut in sententia, quam in Dioscorum protulit, hoc maxime memorare videatur, cum de ipso dicit: [4] Secundis excessibus priorem iniquitatem valde transcendit; praesumpsit enim et excommunicationem dictare adversus sanctissimum et beatissimum archiepiscopum magnae Romae Leonem. Priorem autem iniquitatem pravitatem utique dicit haereticam. Unde nota, quod Dioscorus secundis excessibus, quos in excommunicatione papae Romani dictata patravit, etiam heresim Eutychianam valde transcendisse referatur. Hinc et Anatolius ait: [5] Propter fidem non est damnatus Dioscorus, sed quia excommunicationem fecit domino archiepiscopo Leoni. Nam et adversus reverentiam tuam inter cetera hinc unam calumniarum in te illatarum quasi accusationem texere sunt aemuli tui moliti, opinantes videlicet, tam-

---

[1] Cf. Matth. XVIII, 21. — [2] Cf. 1 Reg. II, 25. — [3] Anno 867. — [4] Conc. Chalced., actio III; Mansi VI, 1047. — [5] Conc. Chalced., actio V; Mansi VII, 103.

quam in contemptum reverendae mentionis papae Benedicti [1] erectus in contumeliam illius nec epistolam eius suscipere praedicti Dioscori more consenseris. Quia ergo in causa, quam in te impingere fallacibus accusationibus temptaverunt, illi veracibus probationibus inveniuntur obnoxii, idcirco ipsi potius iudicium quod iudicaverunt subire et sententiam quam protulerunt incurrere sui oris nexibus irretiti iure debentur. Ergo fraternitas tua curet necesse est, ut sententiarum kapitula, quae synodice in ecclesia Dei, ubi sanctum corpus apostolorum principis Petri requiescit, pro abolendis profanis conciliis Constantinopoli a Photio tam adversus sedis apostolicae reverentiam quam adversus sanctimoniam tuam congregatis communi consonantia promulgavimus [2], apud vos in synodo cunctorum subscriptione roborentur et in singularum arcivis ecclesiarum provide recondantur.

Postremo reverentissimum et sanctissimum communem fratrem nostrum Iohannem metropolitam [3] beatitudini tuae magnopere commendamus; de quo videlicet fraternitatem tuam nolumus ignorare, quoniam, quibuscumque meroribus vel molestiis ex tot accedentibus vobis incommodis cor nostrum fuerit vulneratum, quia, sicut scriptum est: [4] « Legatus fidelis sanitas », ita medicamento ipsius fidelis legati omne, quod in vobis hinc turbide diuturna hucusque mestitia sauciaverat, est sanatum, ut pene nil residuum, quod exinde sanitate indigeat, idem vir prudentissimus in pectore nostro reliquerit. Quamobrem consolatione multa dignus habendus et a sancta fraternitate tua quiete, refrigerio et omni est veneratione ditandus atque in ecclesiasticis negotiis diligentissime moderandis irremote tenendus; propter quae videlicet ipse pericula infinita, non solum per mare, sed et per aridam gradiendo sustinuit, quin potius penes nos demorans et causa tui iugiter pulsans et continuas nobis molestias irrogans nec quaslibet sibi ferias contulit nec ullas cotidiano labori nostro requiem dedit.

Sanctam fraternitatem vestram optamus nunc et semper in Christo bene valere, dilectissime et sacratissime comminister.

Data quarto idus Iunii indictione secunda.

---

[1] III (855-58). — [2] Anno 869, ante 10 iun.; MIGNE PL 129, 112 sqq. — [3] Sylaei. — [4] Prov. XIII, 17.

4.

Concilium VIII oecumenicum.

Oct. 869 — Febr. 870

Actio prima.

In prima sessione libellus satisfactionis quem legati Hadriani II ut conditionem reconciliationis dissidentium et haereticorum synodalibus proponebant, fuit acceptatus. Haec formula continet schema Papae Hormisdae adiectis decretis contra iconoclastas et contra Photium.

Mansi XVI, 28 A-D; Simili modo etsi brevius: 316 B-D (epitome graecum).

Sequimur autem sanctam synodum [1] et amplectimur, quam beatae recordationis papa Nicolaus, cui et ipse dominice coangelice summe pontifex Hadriane subscripsisti, ante sacratissimum Petri et Pauli apostolorum eximii corpus celebravit, simul et quam [2] tu ibi ipse nuper egisti, et omnia, quae in his statuta sunt, secundum decreti vestri moderationem venerabiliter conservabimus, recipientes, quos recipiunt, et damnantes omnes, qui in illis damnati sunt, et praecipue iam dictum Photium et Gregorium Syracusanum... Porro de venerabilissimo Ignatio patriarcha nostro et de iis, qui ex parte huius sunt, quod auctoritas apostolicae sedis vestrae decrevit, tota mente sequimur.

Actio septima.

Sicut in quinta sessione, ita et in septima Photius citatus ad synodum adducitur; in utraque obstinatum se gerit, in priore recusando responsum, in altera contra legatos ecclesiae romanae et patriarcharum Alexandr., Antioch., Ierus. vituperia proferendo.

Mansi XVI, 97 C, E, 98 A. Cf. 357 C-t, 360 A.

Et introductus est Photius baculo innixus, et cum eo Gregorius dudum Syracusanus... Sanctissimi vicarii senioris Romae ac orientalium sedium mandant tibi: facis libellum sanctae ac

---

[1] Romanam 863. — [2] Romanam 869.

universalis synodi, quemadmodum exigit? Photius dixit: Dominus imperatorem nostrum sanctum custodiat in multos annos, et Gregorius et nos similiter oramus. Imperatori nostri sancto, vicariis autem rationem non praebemus. Bahanes magnificentissimus patricius et praepositus dixit ad Photium: Aliud aliquid ad hoc non dicis? Photius dixit: Si audissent, quae diximus nudius tertius, non utique hanc interrogationem praetenderent; si vero definitionem suam posuerunt in poenitentia sua, hanc per opera demonstrent. Bahanes magnificentissimus patricius dixit: quam? Gregorius dixit: ut ipsi poenitentiam agant, super quibus deliquerunt.

Ultima sessio.

28 Febr. 870.

Ex canonibus contra Photium promulgatis.

Concilium VIII 27 canones [1] edidit, quorum magna pars contra Photium directa est.

Canon II.

Decisiones synodales Nicolai I et Hadriani II in causa Ignatii et Photii servari debent.

Versio Anastasii Bibliothecarii.

Mansi XVI, 161 A-C.

Obedite [2] praepositis vestris et subiacete illis; ipsi enim pervigilant pro animabus vestris tamquam rationem reddituri Paulus magnus apostolus praecipit.

Itaque beatissimum papam Nicolaum tamquam organum Sancti Spiritus habentes, necnon et sanctissimum Hadrianum papam successorem eius, definimus atque sancimus etiam omnia, quae ab eis synodice per diversa tempora exposita sunt et promulgata, tam pro defensione ac statu Constantinopolitanorum

---

[1] *Analysis* horum canonum (in textu authentico latino 27, in abbreviatione graeca 14 canones) apud Hefele-Leclercq, *Histoire des Conciles* IV, 1: 521-530; *commentarium* apud Iugie, *IV Concile de Constantinople:* Dictionnaire de Théologie Catholique IIIe, (1911); 1284 sqq. — [2] Hebr. XIII, 17.

ecclesiae et summi sacerdotis eius, Ignatii videlicet sanctissimi patriarchae, quam etiam pro Photii neophyti et invasoris expulsione ac condemnatione, servari semper et custodiri cum expositis capitulis immutilata pariter et illaesa, et nullum episcoporum aut presbyterorum vel diaconorum aut quempiam de catalogo clericorum evertere vel reprobare aliquid horum audere. Quisquis autem post hanc definitionem nostram comprehensus fuerit spernens quidquam capitulorum et decretorum, quae ab illis exposita sunt, si quidem sacerdos fuerit aut clericus, a proprio decidat honore simul et ordine; monachus autem vel laicus, cuiuscumque sit dignitatis, segregetur, donec poenitens profiteatur se conservaturum praedictorum editionem.

Epitomator Graecus.

Mansi XVI, 400 A-B; Hefele-Leclercq IV, 1: 521,

Τὸν μακαριώτατον πάπαν Νικόλαον, ὡς ὄργανον τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἔχοντες, καὶ τὸν ἐκείνου διάδοχον, τὸν ἁγιώτατον πάπαν Ἀδριανόν, ὁρίζομεν καὶ θεσπίζομεν πάντα τὰ παρ᾽ αὐτῶν ἐκτεθέντα καὶ συνοδικῶς ἐκφωνηθέντα κατὰ διαφόρους καιροὺς ὑπὲρ ἐκδικήσεως καὶ συστάσεως τῆς ἁγίας Κωνσταντινουπόλεως Ἐκκλησίας καὶ τοῦ ἁγίου αὐτῆς ἀρχιερέως Ἰγνατίου, καὶ τῆς Φωτίου ἐξωθήσεώς τε καὶ κατακρίσεως, τηρεῖσθαι καὶ φυλάττεσθαι πάντοτε σὺν τοῖς ἐκτεθεῖσι κεφαλαίοις, καὶ μηδένα τῶν οἱουδήτινος τάγματος ἀνθρώπων ἀθετῆσαι τολμᾷν· εἰ δέ τις μετὰ τοῦτον ἡμῶν τὸν ὅρον φωραθείη ἀθετῶν τι τῶν παρ᾽ ἐκείνοις

Versio latina Epitomatoris Graeci.

Beatissimum papam Nicolaum veluti Spiritus Sancti instrumentum habentes et eius successorem sanctissimum papam Hadrianum, decernimus et sancimus omnia ab eis promulgata et synodice pronunciata diversis temporibus pro defensione et statu sanctae Constantinopoleos ecclesiae et sancti eius pontificis Ignatii, et Photii expulsione et condemnatione, servari et custodiri semper cum expositis capitulis, ut nemo cuiusvis ordinis ea violare audeat. Quod si quis deprehensus post hanc nostram sanctio-

ἐκτεθέντων κεφαλαίων, ἱερεὺς μὲν ὢν ἢ κληρικός, ἐκπιπτέτω τῆς ἰδίας τιμῆς καὶ τάξεως· μοναχὸς δὲ ἢ λαϊκός, ἀφοριζέσθω, μέχρις ἂν μετανοήσῃ.

---

nem, ex iis capitulis quidquam resciderit, sacerdos aut clericus de gradu suo deiiciatur; monachus aut laicus excommunicetur, quoad eum facti poeniteat.

5.

Ioannes VIII Papa S. Ignatio.

Apr. 878.

Iohannes VIII Ignatio patriarchae praecipit, ut intra 30 dies clericos graecos a Bulgaria removeat.

Caspar 62-63; Mansi XVII A, 67-68; Migne PL 126, 763.

Reverentissimo confratri nostro Ignatio Patriarche Constantinopolitano.

Missa per Paulum et Eugenium reverentissimos episcopos.

Secundo iam sedis apostolice litteris [1] probaris admonitus et per missos eius contestatoriis conventus hortatibus, iure tibi Constantinopolitane dioeceseos, quod per eiusdem primae sedis auctoritatem et favorem annuente Deo receperas, rite contentus ultra praefixos tibi ex canonibus limites praesumptionis pedem non tenderes, nec antiquos terminos, quos posuerunt patres tui, aliqua usurpatione transferres. Nullus autem ignorat regionem Uulgarum a sanctae memoriae Damaso papa et deinceps usque ad paganorum irruptionem a sedis apostolicae praesulibus, quantum ad ecclesiasticae provisionis attinet privilegium, moderatam, praesertim cum hoc nonnulla scripta, sed praecipue diversorum pontificum Romanorum res gestae, quae in arcivis antiquitus nostrae reservantur ecclesiae, clarius attestentur. De his autem, quae bellica [2] clades et gravissimi hostilitatis incursus intulisse

---

[1] Prior epistola Ioh. VIII ad Ignatium non iam habetur. — [2] Leo Magn. ad Nicetum episcopum Aquileiensem; Migne PL 67, 296.

noscuntur, nil praestantius sentiendum est, quam quod clarissima ecclesiae tuba, sanctus videlicet Leo nostrae sedis antistes, edocuit et decrevit, cum ait: Adhibenda, inquiens, curatio est, ut vulnera, que adversitate hostilitatis illata sunt, religionis maxime ratione sanentur; qui statu rerum auxiliante Domino in meliora converso iterum dicit: Remotis malis, quae hostilitas intulit, unicuique id, quod legitime habuit, reformetur omnique studio procurandum est, ut recipiat unusquisque, quod proprium est; et rursus: Quod bellica necessitate turbatum est, pacis remedio reformetur. Sed haec, reverentissime frater, omnia clausis oculis relegisti sanctorumque patrum decreta calcaneo temerario conculcasti ac multiplicium tibi beneficiorum sedis apostolicae prestitorum oblitus contra eandem sanctam sedem, benefactricem videlicet tuam, erectus es, priscam dioecesim illius in regione Uulgarica constitutam illicita pervasione subripiens et in alienam messem contra divinas leges mittere falcem non renuens. Unde merito post primam et secundam commonitionem a nostrae te debueramus communionis contubernio sequestrare, « in promptu habentes », secundum apostolum [1], « omnem ulcisci inobedientiam »; qui etiam dicit: [2] « Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, ut non commisceamini cum eo ». Sed quia sedis apostolicae moderatione utentes spiritu lenitatis potius quam severitatis erga correptionis tuae flagramus effectum, ecce tertio canonice per missos et syllabas commonemus et hortamur et protestamur, ut nullam omnino moram perpessa strenuos viros in regionem Uulgarum dirigat, qui per totam patriam peragentes, quoscunque illic reppererint, qui a te vel ab subiectis tibi consecrationis munus accepisse dicuntur, sine quavis dilatione reducant, ita ut intra triginta dierum spatium nullus episcopus, nullus omnino clericus, qui tuae ordinationis, immo inordinationis sunt, intra omnes Uulgarum fines inveniantur. Non enim patimur eos, quos ibidem tu illicite constituisti, quos et ab apostolica esse iam sede huius rei gratia constat excommunicatos, errore suae praevaricationis corda novorum Domini famulorum inficere, quos videlicet in fide instructionis manu plantavimus et aqua salutaris fontis doctrinarum rigavimus atque

[1] 2 Cor. X, 6. — [2] 2 Thess. III, 14.

horum auctori Deo ad incrementum spiritus dandum, « ut [1] sit ipse in omnibus primatum tenens », obtulimus. Porro si intra triginta intervalla dierum omnes, quos vel tu vel episcopi tui consecrasse in aliquo gradu putantur ecclesiae, a totius regionis Uulgaricae terminis non eduxeris et temetipsum ab omni ecclesiastico illius iure dioeceseos non subduxeris, tandiu sancto corpore ac pretioso sanguine domini nostri Iesu Christi post duos menses a die numerandos, qua huius epistolae tomum acceperis, esto privatus, quandiu his obstinatus decretis nostris minime obedientiae colla summiseris. Iam vero si pertinaciter in hac indisciplinatione atque pervasione permanseris et episcopos et quotquot illic vel illi vel tu consecrasse videris foras illinc minus expuleris, omnipotentis Dei iudicio et beatorum apostolorum principum auctoritate nostraeque mediocritatis sententia omni patriarchatus esto dignitate, quam favore nostro receperas, alienus et exsors, nullo penitus summi sacerdotii privilegio praeditus vel potitus.

Missa per Paulum et Eugenium episcopos.

Data mense Aprile, Indictione XI.

6.

Iohannes VIII
Basilio et Constantino et Alexandro Imperatoribus.

Aug. 879.

Iohannes VIII Papa Basilio I et Constantino et Alexandro imperatoribus respondet, se approbaturum Photium, si coram synodo veniam petet. Caspar 167-176; Migne PL 126, 853; Mansi XVII A, 136. Versio graeca fuit adulterata.

Locos epistolae sequentes, qui de morte Ignatii et condicione reconciliationis Photii agunt, in versione graeca non invenis.

Caspar 168-169 (Igitur petistis). Caspar 170-171.

Nunc itaque aliis patriarchis, Alexandrino videlicet et Antiocheno et Hierosolimitano, atque omnibus archiepiscopis metropolitis episcopis et sacerdotibus cunctoque clero Constanti-

---

[1] Col. I, 18.

nopolitanae sedis, qui de ordinatione beatae memoriae Methodii [1] et Ignatii reverentissimorum patriarcharum existunt, una voluntate parique voto consentientibus eundem Photium satisfaciendo atque coram synodo misericordiam quaerendo in vera dilectione fratrem, in pontificali officio comministrum, in pastorali magisterio consacerdotem pro ecclesiae Dei pace et utilitate amodo Christo favente recipimus et habemus, quia et vos, christianissimi imperatores augusti, qui sanctae rei publicae clementissimo affectu gubernatis imperium, pro Christi fungi legatione [2] videmini, dum pro pace rogatis Ecclesiae, et nos, quibus secundum apostolum omnium ecclesiarum Dei [3] sollicitudo incumbit, controversiam aliquam in ecclesia Dei amplius remanere nolentes hunc ipsum patriarcham cum omnibus sive episcopis sive presbyteris seu caeteris clericis et omnibus laicis, in quos iudicii fuerat censura prolata, ab omni ecclesiasticae sanctionis vinculo absolvimus sanctaeque Constantinopolitanae ecclesiae iudicamus recipere sedem Dominicique gregis esse pastorem, illa scilicet potestate fulti, quam ecclesia Dei toto terrarum orbe diffusa credit nobis in ipso apostolorum principe a Christo Deo nostro esse concessam, eodem Salvatore beatum Petrum apostolum prae ceteris specialiter delegante: [4] « Tibi dabo claves regni caelorum et quaecumque ligaveris super terram, erunt ligata et in caelis, et quaecumque solveris super terram, erunt soluta et in caelis ». Sicut enim ex his verbis nil constat exceptum, sic per apostolicae dispensationis officium et totum possumus procul dubio generaliter alligare et totum consequenter absolvere, praecipue, cum ex hoc magis praeberi cunctis oporteat apostolicae miserationis exemplum.

Nam et legati [5] sedis apostolicae ab antecessore nostro, Hadriano videlicet almifico praesule, Constantinopolim directi synodo [6] ibidem peractae [7] « usque ad voluntatem sui pontificis » vigilanti studio subscripserunt, nec ab apostolico (volue-

---

[1] 843-847. — [2] Cf. 2 Cor. V, 20. — [3] Cf. 2 Cor. XI, 28. — [4] Matth. XVI, 19. — [5] Donatus Ostiensis et Stephanus Nepesinus episcopi et Marinus diaconus. — [6] Concilio VIII oecum. 869-70. — [7] Cf. subscriptiones legatorum; Mansi XVI, 189, 190.

runt divisi) manere, quia sedes beati Petri caelestis regni clavigeri potestatem habet ligata quaelibet pontificum congrua aestimatione absolvere.

CASPAR 168-169; MANSI XVII A, 397 A-D.

Igitur petistis a nobis, quatenus sede apostolica suae pandente viscera pietatis Photium reverentissimum in patriarchatus honore, in summi sacerdotii dignitate et in ecclesiastici collegii societate reciperemus nostraeque communionis partecipem faceremus, ne ecclesiam Dei tanto iam tempore perturbatam pateremur amplius manere divisam scandaloque commotam. Nos itaque serenitatis vestrae preces congrua ratione admittentes, quia Ignatium piae memoriae patriarcham de praesenti vita iam migrasse cognoscimus, temporis ratione perspecta hoc modo decernimus ad veniam pertinere, quod nuper de ipso Photio, licet ipse absque consultu sedis nostrae officium sibi interdictum usurpaverit, gestum constat fuisse, non statutis apostolicis praeiudicantes nec beatorum patrum regulas resolventes, quin potius multiplicibus earum auctoritatibus freti

Versio graeca falsificata ex parte.

Ἔγραψας ἡμῖν, υἱὲ ἡμῶν ἠγαπημένε, ἵνα ἀποστολικὰ καὶ συμπαθῆ σπλάγχνα ὑπανοίξαντες πάντας τοὺς τῆς καθ' ὑμᾶς ἐκκλησίας, ὅσοι γεγόνασιν ἢ δι' ἰδιοχείρων ἐν παραβάσει ἢ ἄλλως πως κανονικαῖς ὑπέπεσον ἐπιτιμίαις, δεξώμεθα καὶ τῆς εἰρήνης καὶ ὁμονοίας φροντίδα ποιησώθα, οὐ μὴν ἀλλά γε καὶ πρὸ τούτων Φώτιον τὸν θεοσεβέστατον ἀρχιερεά τῆς πρὸς ἡμᾶς κοι-

---

Versio latina versionis graecae falsificatae.

Scripsisti enim, fili nobis dilecte, ut apostolica plenaque humanitatis viscera aperientes omnes e vestra ecclesia, quotquot aut propria manu subscribentes legem violarunt aut quacumque alia ratione canonicis obnoxii poenis fuere, susciperemus, curamque pacis et concordiae gereremus, quin etiam ut ante alia Photium religiosissimum pontificem nostrae communionis par-

νωνίας μέτοχον καὶ κληρονόμον καὶ συλλειτουργὸν ποιήσαντες ἐς τὸ μέγα τῆς ἀρχιερωσύνης ἀξίωμα καὶ τὴν τιμὴν τῆς πατριαρχείας πάλιν ἀποκαταστήσωμεν ὥς ἂν μὴ ἡ ἐκκλησία τοῦ θεοῦ ἐπὶ πολὺν χρόνον ταῖς τῶν θεοστυγῶν σχισμάτων καὶ πονηρῶν σκανδάλων τρικυμίαις ταραττομένη διαμένῃ. Ἡμεῖς δὲ τῆς ὑμετέρας γαληνότητος τὴν ἱκεσίαν προσδεξάμενοι ὡς εὔλογον οὖσαν καὶ δικαίαν καὶ θεάρεστον, τόν τε καιρὸν ἐπιτήδειον ὄντα, οἷον καὶ πρὶν ἐπεζητοῦμεν καὶ ηὐχόμεθα εὑρόντες καὶ νομίσαντες ἁρμόδιον εἶναι τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ εἰρηνοποιεῖν, ἀπεστείλαμεν ἀποκρισιαρίους ἡμῶν ἐκπληροῦντας τὸ θέλημα ὑμῶν, εἰ καὶ ἡ ὑμετέρα εὐσέβεια τὸν ἄνδρα ἐκβιασαμένη ἔφθασεν ἀποκαταστήσασα καὶ πρὸ ἡμῶν, ἤτοι πρὸ τοῦ παραγενέσθαι τοὺς ἡμετέρους τοποτηρητὰς ἐν τοῖς αὐτόθι, ὅμως ἡμεῖς τοῦτο θεραπεύομεν, οὐκ ἐκ τῆς ἡμετέρας αὐθεντίας, καίπερ ἔχοντες ἐξουσίαν τοῦτο ποιεῖν, ἀλλ' ἐκ τῶν ἀποστολικῶν διατάξεων καὶ πατρικῶν θεσπισμάτων τὰς ἀποδείξεις φέροντες, οὐ τοὺς θεσμοὺς τῆς ἐκκλησίας τοὺς ἀνέκαθεν παραδεδομένους λύοντες, ἀλλ' ἐν οἷς ἡ τούτων ἀκρίβεια ἀπαράτρεπτος διατηρουμένη διασπᾷ καὶ λυμαίνεται τὴν ὁλοκληρίαν τοῦ σώματος τῆς ἐκκλησίας, πρὸς τὸ συμφέρον ἄγειν πάντα παρ' αὐτῆς ἐκείνης διδαχθέντες.

---

ticipem et consortem et comministrum statuentes, in magum pontificatus culmen et in patriarchatus dignitatem iterum restitueremus, ne Dei ecclesia longo tempore impiorum schismatum pravorumque scandalorum fluctibus conturbata permaneat. Nos autem vestrae serenitatis supplicationem admittentes ut rationi consentaneam et iustam et Deo placentem, tempus opportunum, quale pridem quaerebamus et desiderabamus, nacti, arbitratique conveniens esse, ut ecclesiam Dei pacatam redderemus, misimus apocrisiarios nostros, qui implerent, quae vultis, tametsi vestra pietas viro vim prius intulit, restituendo eum ante nos, hoc est, antequam nostri legati illuc advenirent, nos hoc indulgemus, non ex nostra auctoritate, quamvis hoc faciendi potestatem habeamus, sed ex apostolicis constitutionibus et patrum decretis argumenta sumentes, nec leges ecclesiae iampridem traditas solventes, sed ubi harum exacta et rigida observatio dirimit et labefactat totam compagem corporis ecclesiae, prout utile est omnia agere ab ipsa edocti.

7.

Ioannes VIII Papa Photio.

Aug. 879

Iohannes VIII Photium condicionate agnoscit.

Caspar 181-186; Migne PL 126, 870; Mansi XVII A, 148. Versio graeca est falsificata ex parte.

Photio Patriarchae Constantinopolitano.

Experientia tuae prudentiae litteris [1] pontificio nostro delatis satis ubertim comperta altitonantem Dominum piissimas ei grates agentes laudavimus, qui postulatus dat omnibus sapientiam et in domo faciens unanimes habitare salvat omnes in se sperantes et protegit se in veritate quaerentes, qui neque probos reos neque facit pios tyrannos, tamen iuste iudicans beatis quibuslibet aetherea praemia et infelicibus reservato interim plenitudinis tempore, nisi resipuerint, aeterna confert supplicia.

Praedictis quoque litteris praeconia nostra legentes affectum tuum cognovimus et, quam sis nunc erga nos devotus, satis evidenter repperimus. Verum in quo nobis nostra merita non suffragantur, Deo dimittimus et, in quo nos humanis laudibus quicumque mortalium elevare conantur, fragilitatem naturae nostrae cum summa formidine eodem Deo prae oculis habito contemplamur. Scimus enim, ipso dicente, quia [2] « qui se exaltat, humiliabitur et qui se humiliat, exaltabitur ».

Quod dicitur autem sanctam Constantinopolitanam ecclesiam in te convenire teque privatam sedem recipere missosque nostros [3] tecum minime consacrare, de adunatione omnium Deo gratias agimus, sed missis nostris ideo de hoc mandatum non dedimus, quia nil certitudinis, qualiter ipsa sedes haberet, antea comprobavimus. Nunc vero, sicut de pace et adunatione ipsius ecclesiae valde gaudemus, ita et de dissensione nolentium acquiescere contristamur, quia, Salomone testante [4], « quasi peccatum

---

[1] nunc deperditis. — [2] Matth. XXIII, 12. — [3] Paulum Anconitanum et Eugenium Ostiens. episcopos. — [4] 1 Reg. XV 123, 2.

hariolandi est repugnare et sicut genus idolatriae nolle acquiescere ». Verum super receptione privatae sedis nos debuimus antea consuli. Tamen quia obeunte fratre et coepiscopo nostro Ignatio te Constantinopolitano throno praesidere audivimus, tantum ut pax augeatur et iurgia cessent, multimodas Deo gratias agimus. Tu autem omnium mentes demulcens omnes patulis ulnis amplectere, omnes dispersos congregare non desine, omnes colligere sollicite stude, quia, sicut sanctus papa Leo Magnus [1] scribit, sedis apostolicae, inquiens, moderatio hanc temperantiam servat, ut et severius agat cum obduratis et veniam cupiat praestare correctis.

Et cum non sit reprehensibilis erga correctum quantacunque miseratio, satisfaciens coram synodo misericordiam secundum consuetudinem postulaveris ac si evidenti correctione utaris et peritiae tuae non obliviscens nullius damna moliaris, quin potius exilia eorum, qui tibi non velle consentire dicuntur, studiose dissolveris eosque suis ecclesiis et honoribus restitueris et si, quia spiritualis filius noster Basilius christianissimus imperator apud nos pro te multis precibus intervenit, omnes uno voto uno consensu et una concordia in tua restitutione convenerint, veniam pro pace sanctae Constantinopolitanae ecclesiae tibi concedimus, communionem quoque et gradum coram synodo misericordiam quaerendo nihilominus reddimus et, ut sanctae Constantinopolitanae ecclesiae digne praeesse debeas, consentimus, ita tamen, ut deinceps de laicis in eadem ecclesia episcopus contra sanctorum patrum statuta nullatenus ordinetur et omnis illa mala consuetudo abinde penitus amputetur iuxta kapitulum [2], quod super hac re in venerabili synodo tempore scilicet decessoris nostri Hadriani iunioris papae Constantinopoli habita est congruentissime promulgatum.

Praeterea, sicut vestra pars suum velle conatur vires accipere, ita et nos diœcesim nostram Uulgaricam, quam apostolicae recordationis sanctissimi domini papae Nikolai certamine sedes apostolica receperat ac Hadriani aeque beatissimi praesulis tem-

---

[1] Epist. ad Pulcheriam Imperatricem; MANSI V, 1404. — [2] Callide Photius in versione graeca tacet de s a t i s f a c t i o n e coram synodo; MANSI XVII A, 413 A. 416 A; CASPAR 184.

pore possederat, summa nobis celeritate restitui volumus et de cetero omnem ordinationem ecclesiasticam ab ecclesiae Constantinopolitanae praesulibus in eadem dioecesi Uulgarica auctoritate apostolica amputamus Ipsos autem ordinatos ibidem episcopos et omnes alios inferioris ordinis clericos, ut inde se subtrahant et ab invasione Uulgaricae nostrae dioeceseos se omnino compescant, decertare procures. Quibus si tu aut pallium dederis aut quamcumque illic ordinationem feceris vel, donec nobis obediant, cum eis communicaveris, pari excommunicatione cum eis teneberis annexus [1].

Reliqua [2] vero, quae litterae tuae a nobis fore censenda vel finienda expectant, dato commonitorio [3] nostris legatis, Petro [4] venerabili presbytero cardinis nostri, diliciosis consiliariis [5] nostris, quaedam scriptis, quaedam autem verbis iniunximus, qui iuxta censuram nostri apostolatus instructi de omnibus cuncta Deo prae oculis habito contemplantes et admittenda ubi fas est admittere studeant, et corrigenda sub aequitatis libramine corrigant.

8.

Iohannes VIII metropolitis Constantinopolitanis

16 Aug. 879.

Papa Photium pro pace ecclesiae recipiens hortatur metropolitas Ignatianos Stylianum Neocaes., Ioannem Sylaei, Metrophanem Smyrnens. caeterosque clericos et laicos Consp., ut Photium agnoscant.

Caspar 186-187; Mansi XVII A, 153; Migne PL 126, 863.

Eximiis Viris Iohanni Leoni et Paulo patriciis atque Styliano Iohanni et Metrofani Reverentissimis metropolitis et ceteris sacerdotibus seu cuiuscumque ordinis clericis seu laicis.

Omnium ecclesiarum Dei secundum apostolum sollicitudinem [6] habentes et pastoris gregis Dominici nobis in ipso apo-

---

[1] Cf. can. 5 concilii VIII oecum.; Mansi XVI, 162. — [2] In versione graeca dolose subiungitur locus de condemnatione concilii VIII oecum; Mansi XVII A, 416 E; Caspar 186. — [3] Commonitorium authenticum est deperditum, textum graecum commonitorii falsificati in N. 9 huius opusculi invenies. — [4] Petrus, Cardinalis S. Chrisogoni. — [5] Eugenio Ostiensi et Paulo Anconitano. — [6] Cf. 2 Cor. XI, 28.

stolorum principe curam commissam gerentes, Domino dicente: [1] « Si diligis me, Simon Petre, pasce oves meos », condolemus vobis, quoniam multis iam labentibus annis usque ad praesens in discordiae divisione et in scandalorum perturbatione vos videmus promptos manere nec per caritatis custodiam ad unitatem ecclesiae velle reverti. Quam videlicet unitatem qui non tenet, Dei legem non tenet, Patris et Filii fidem non tenet, vitam non tenet nec salutem. Hoc denique unitatis sacramentum, hoc concordiae vinculum inseparabiliter cohaerens ostenditur, quando in evangelio tunica domini nostri Iesu Christi non dividitur omnino nec scinditur, sed sortientibus de veste Christi [2], quis potius Christum indueret, integra vestis accipitur et incorrupta atque indivisa tunica possidetur; possidere enim non potest indumentum Christi, qui scindit et dividit ecclesiam Christi. Quis ergo sic sceleratus et perfidus, quis sic discordiae furore vesanus, qui aut credat scindi posse aut audeat scindere unitatem Dei, vestem Domini, ecclesiam Christi. Monet ipse in evangelio suo dicens: [3] « Et erit unus grex et unus pastor »; apostolus autem Paulus hanc eandem nobis insinuans unitatem hortatur dicens: [4] « Obsecro vos per nomen Domini nostri Iesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes et non sint in vobis scismata, sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententias » et iterum dicit: [5] « Sustinentes invicem in dilectione, satis agentes servare unitatem spiritus in coniunctione pacis », quoniam nec habere pacem cum Deo poterit, qui cum fratribus pacem per zeli discordiam non habuerit. Quam igitur sibi pacem promittunt inimici fratrum? Quae sacrificia celebrare se credunt sacerdotes, caritatis Dei qui non sunt veste induti? Pacem nobis Christus dedit: « Pacem », inquit [6], « meam do vobis, pacem relinquo vobis » concordes atque unanimes esse praecepit, dilectionis et caritatis foedera incorrupta atque inviolata mandavit.

Et ideo vestram salutem cupientes monemus et apostolica benignitate iubemus vos omnes sanctae ecclesiae unire vestroque patriarchae, Photio videlicet, quem pro ecclesiae Dei pace et unitate recepimus, adhaerere communicareque studete. Nec ali-

[1] Io. XXI, 17. — [2] cf. Io. XIX, 23-24. — [3] Io. X, 16. — [4] 1 Cor. I, 10. — [5] Eph. IV, 2-3. — [6] Io. XIV, 27.

qùis vestrum hanc habeat in redeundo excusationem pro scripturis de hac causa compositis, quia divina potestate, quam accepit ecclesia Christi [1]; cuncta solvuntur vincula, quando per pastoralem auctoritatem, quae fuerant ligata, solvuntur, quoniam, sicut dicit sanctus papa Gelasius [2], nullum est vinculum insolubile, nisi circa eos, qui in errore persistunt. Nam si haec nostra apostolica monita tantis supradictis testimoniis divinis firmata audire contempseritis in vestra pertinacia manere volentes, scitote, quia missis nostris [3] praecepimus tamdiu vos omni ecclesiastica communione privare, quamdiu ad unitatem corporis Christi et ad vestrum contempseritis redire pontificem.

Data mense augusto, indictione XII, die XVI.

Missa per Petrum presbyterum.

9.

Commonitorium Ioannis VIII ad legatos suos.

879.

Hoc commonitorum, quod in actis synodi Photianae 879 invenitur, est *ex parte* falsificatum. HERGENRÖTHER, *Photius* II, 390. Ex eius 11 capitulis tria principalia hic apponemus.

MANSI XVII A, 469 A-B; CASPAR 188-89.

Κεφάλαιον δ'. Καθὼς ἀπέστειλεν ὁ βασιλεύς, ἵνα διὰ τὴν εἰρήνην τῆς ἐκκλησίας ἀποδεξώμεθα τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην Φώτιον ἀδελφὸν καὶ συλλειτουργὸν ἡμῶν, εἰσηκούσαμεν τῆς δεήσεως ὑμῶν. Καὶ κελεύομεν, ἵνα ἐνώπιον ὑμῶν ἔλθῃ εἰς τὴν

Caput IV. Sicut scripsit imperator, ut per pacem ecclesiae susciperemus sanctissimum patriarcham Photium fratrem et comministrum nostrum, exaudivimus preces vestras. Et iubemus ut

---

[1] cf. Matth. XVI, 19. — [2] Allusio ad tomum Gelasii I « De anathematis vinculo » ; MANSI VIII, 89 B C. — [3] episcopis Paulo Anconitano, Eugenio Ostiensi, Petro Cardinali.

σύνοδον [1], καὶ ἀποδέξηται αὐτὸν πᾶσα ἡ ἐκκλησία κατὰ τὴν διάταξιν τῶν γραμμάτων ἡμῶν· ἀποδέξησθε αὐτὸν καὶ ὑμεῖς συγκοινωνὸν καὶ συλλειτουργόν, καὶ ἵνα εὐχαριστίαν καὶ ἔλεος τῆς ἐκκλησίας τῶν Ῥωμαίων προσφέρῃ.

Κεφ. ε'. Ἀναστάντες εἴπατε αὐτῷ· « Κελεύει [2] ὁ κύριος ἡμῶν ὁ ἁγιώτατος πάπας, ἵνα πάντες οἱ ἐν διαφόροις ὄντες τόποις ὑπερόριοι, εἴτε ἐπίσκοποι εἴτε πρεσβύτεροι εἴτε ἄλλοι τινες, καὶ οὐκ ἠθέλησαν ἕως τοῦ παρόντος κοινωνῆσαι μεθ' ὑμῶν, διὰ τοῦ μόχθου ὑμῶν ἑνωθῶσι τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ θεοῦ καὶ γένωνται ἓν μεθ' ὑμῶν ». Ἐρχομένων δὲ αὐτῶν ἀποδέξεται αὐτοὺς ὡς πατὴρ τέκνα καὶ νουθετήσει αὐτοὺς πολλάκις, ἵνα διὰ τὴν εἰρήνην τῆς τοῦ θεοῦ ἐκκλησίας ὁμονοήσωσι μετὰ τοῦ ἀποστολικοῦ καὶ κρατήσωσι μετ' αὐτοῦ ἓν θέλημα, ἀποδεχόμενοι Φώτιον τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην καὶ γινόμενοι αὐτοῦ συγκοινωνοί. Οἱ δὲ ἐρ-

---

coram vobis veniat ad synodum, et suscipiat eum omnis ecclesia iuxta dispositionem litterarum nostrarum; suscipiatis eum et vos consortem et comministrum; et ut gratiarum actionem referat et misericordiam commendet ecclesiae Romanae.

Caput V. Surgentes dicite ei: Iubet dominus noster sanctissimus Papa, ut omnes, qui in diversis locis sunt exsules, sive episcopi sive presbyteri, sive alii quilibet, qui noluerunt hactenus communicare vobiscum, vestro labore uniantur ecclesiae Dei, et fiant unum vobiscum. Venientibus autem illis suscipiet illos ut pater filios, et saepe monebit illos, ut propter pacem ecclesiae Dei sint unius sententiae cum Apostolico et cum ipso retineant unam voluntatem, suscipientes Photium sanctissimum patriarcham, et communicantes cum eo. Ex his autem, qui ve-

---

[1] Tacetur callide de *satisfactione*, de qua explicite in epistolis authenticis Iohannis VIII ad imperatores Basilium et Constantinum et Alexandrum (documentum N. 6), ad episcopos ecclesiae Constantinopolitanae (CASPAR 179), ad Photium (docum. N. 7) sermo est. — [2] In hoc capitulo mentio Ignatii patriarchae supprimitur. Iohannes VIII imperatoribus byzantinis scribit: « quia Ignatium piae memoriae patriarcham de praesenti vita iam migrasse cognoscimus », « clericos qui de consecratione Ignatii bonae memoriae consistunt »; Photio scribit: « quia obeunte fratre et coepiscopo nostro Ignatio » (docum. N. 7).

χόμενοι, ὅσοι μὲν προεχειροτονήθησαν, ἵνα ἀπολάβωσι τοὺς θρόνους αὐτῶν, οἳ δὲ ἐσχάτως χειροτονηθέντες ἵνα ἔχωσιν ἐκ τῶν αὐτῶν ἐπισκόπων διατροφὰς καὶ σκεπάσματα ἀρκοῦντα.

472 A.

Κεφ. ι΄. Θέλομεν ἐνώπιον τῆς ἐνδημούσης συνόδου ἀνακηρυχθῆναι, ἵνα ἡ σύνοδος[1] ἡ γεγονυῖα κατὰ τοῦ προῤῥηθέντος πατριάρχου Φωτίου ἐν τοῖς καιροῖς τοῦ Ἀδριανοῦ τοῦ ἁγιωτάτου πάπα ἐν τῇ Ῥώμῃ καὶ ἐν Κωνσταντινουπόλει ἀπὸ τοῦ παρόντος ᾖ ἐξωστρακισμένη καὶ ἄκυρος καὶ ἀβέβαιος καὶ μὴ συναριθμῆται αὕτη μεθ' ἑτέρας ἁγίας συνόδου..

---

nient, qui quidem prius ordinati fuerint, recipiant sedes suas; qui vero posterius sunt ordinati, sic habeant ab ipsis episcopis victum ac vestitum sufficientem.

Caput X. Volumus coram praesente synodo promulgari, ut synodus, quae facta est contra praedictum patriarcham Photium sub Hadriano sanctissimo Papa in urbe Roma et Constantinopoli ex nunc sit reiecta, irrita et sine robore, neque connumeretur cum altera sancta synodo.

10.

Synodus Photiana.

Nov. 879 — Mart. 880.

In sessione quarta synodi Photianae Petrus Cardinalis, legatus Papae, quinque sequentes articulos synodo acceptandos proposuit; sed synodus tantum quartum et quintum, qui Photio favebant, approbavit.

---

[1] In versione graeca epistolae Iohannis VIII ad Photium similis locus falsificatus nobis occurrit; Mansi XVII A, 416 E; Caspar 186.

Actio quarta.

24 Dec. 879

Mansi XVII A, 488 A.

Κεφάλαιον α'. Ὥστε μηκέτι εἰς Βουλγαρίαν [1] χειροτονεῖν τὸν Κωνσταντινουπόλεως μήτε ὠμοφόρ(ι)ον ἀποστέλλειν, μήτε εἰ δεσμήσομεν αὐτούς, καὶ καταφύγωσι πρὸς τὴν ὑμετέραν ἁγιωσύνην, συμπαθείας ἀξιοῦσθαι.

488 E.

Κεφ. β' Ὥστε μηκέτι ἀπὸ λαϊκῶν [2] προάγεσθαι εἰς τὸν Κωνσταντινουπόλεως θρόνον. Τὰ γὰρ γινόμενα σπάνια, εἰ καὶ λίαν ἀγαθὰ εἴη, νόμος τοῖς μετέπειτα καθίστασθαι οὐ δύναται [3].

489 C.

Κεφ. γ'. Ὥστε μὴ ἐξ ἄλλης ἐκκλησίας προάγεσθαι εἰς ἀρχιερέα τῆς Κωνσταντινουπόλεως ἐκκλησίας, ἀλλ' ἐκ τῶν καρδηναλίων πρεσβυτέρων καὶ διακόνων [4].

Caput I. Ne posthac in Bulgaria ordinet antistes Constantinopoleos neque pallium eo mittat; neque si ligemus ipsos, et ad vestram sanctitatem confugiant, obtineant veniam.

Cap. II. Ut deinceps nemo ex laicis promoveatur in sedem Constantinopolitanam. Nam quae raro fiunt, quamvis valde bona sint, pro lege constitui posteris non possunt.

Cap. III. Ne ex alia ecclesia promoveatur in pontificem ecclesiae Constantinopolitanae, sed ex cardinalibus [1] presbyteris et diaconis.

---

[1] Cf. versionem graecam adulteratam epistolae Iohannis VIII ad Basilium imperatorem; Mansi XVII A, 405 B-C; Caspar 173. — [2] Cf. textum latinum authenticum epistolae Iohannis VIII ad Basilium imperatorem; Caspar 172; item epistolam Iohannis VIII ad Photium; Caspar 185. — [3] Cf. versionem graecam adult. Iohannis VIII ad episcopos ecclesiae Constp; Mansi XVII A, 453 B; Caspar 179. — [4] Cf. Caspar 172.

489 E.

Κεφ. δ'. Τὴν γενομένην σύνοδον [1] κατὰ Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ Ἀδριανοῦ τοῦ μακαριωτάτου πάπα, καὶ τὴν γενομένην σύνοδον ἐν Κωνσταντινουπόλει κατὰ τοῦ ἁγιωτάτου Φωτίου, ὁρίζομεν παντελῶς ἐξωστρακισμένην καὶ ἀποκεκ⟨υ⟩ρ⟨ω⟩μένην εἶναι, καὶ μήτε μετὰ ἁγίων συνόδων συναριθμεῖσθαι ἢ συγκαταλέγεσθαι, μήτε μὴν σύνοδον ὅλως καλεῖσθαι ἢ ὀνομάζεσθαι. Μὴ γένοιτο.

492 C, D.

Κεφ. ε'. Τοὺς μέχρι τοῦ νῦν ἑαυτούς ἀποστήσαντας τῆς ἁγίας τοῦ θεοῦ ἐκκλησίας καὶ Φωτίου [2] τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου, καὶ τῇ σχισματικῇ πλάνῃ ἑαυτοὺς ἐκδεδωκότας ὁρίζομεν ἀκοινωνήτους εἶναι τοῦ σώματος καὶ αἵματος Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ θεοῦ ἡμῶν καὶ τῆς τῶν πιστῶν συνάξεως τε καὶ συναυλίας, ἕως ἂν ἐπιμένωσι τῇ ἀποστασίᾳ.

Caput. IV. Synodum Romae factam contra Photium sanctissimum patriarcham, sub Hadriano beatissimo Papa, et factam Constantinopoli synodum contra eundem sanctissimum Photium, definimus omnino damnatam et abrogatam esse, neque eam sanctis synodis adnumerandam esse aut recensendam, neque synodum omnino appellandam aut vocandam esse. Absit.

Cap. V. Eos, qui hactenus seipsos diviserunt a sancta ecclesia Dei et a Photio sanctissimo patriarcha, et schismatico errori seipsos tradiderunt, decernimus excommunicatos esse a corpore et sanguine Christi veri Dei nostri, et a fidelium coetu atque conventu, quamdiu perstiterint in ea defectione.

---

[1] Cf. Commonitorium (ex parte falsificatum) Iohannis VIII ad legatos, caput 10; doc. N. 1; item versionem graecam adulteratam Iohannis VIII ad Photium, MANSI XVII A, 416 E; CASPAR 186. — [2] Cf. Commonitorum, caput 7; epistolam authenticam Iohannis VIII ad Basilium; CASPAR 175.

Actio quinta.

26 Ian. 880.

Metrophanes metropolita Smyrn., caput adversariorum Photii, recusavit quamvis a legatis papae citatus, ad hanc sessionem venire; ideo fuit excommunicatus. Post hanc sententiam a synodo Photiana, cum consensu legatorum, hic canon promulgatus fuit.

Mansi XVII A; 497 D-E.

Κεφάλαιον α΄. Ὥρισεν ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος, ὥστε εἴ τινες τῶν ἐξ Ἰταλίας κληρικῶν ἢ λαικῶν ἢ ἐπισκόπων ἐν τῇ Ἀσίᾳ ἢ ⟨τῇ⟩ Εὐρώπῃ ἢ ⟨τῇ⟩ Λιβύῃ διατρίβοντες ὑπὸ δεσμὸν ἢ καθαίρεσιν ἢ ἀναθεματισμὸν παρὰ τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Ἰωάννου ἐγένοντο, ἵνα ὦσιν οἱ τοιοῦτοι καὶ παρὰ Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως ἐν τῷ αὐτῷ τῆς ἐπιτιμίας ὅρῳ· τουτέστιν ἢ καθῃρημένοι ἢ ἀναθέματι καθυποβεβλημένοι ἢ ἀφωρισμένοι.

Οὓς μέντοι Φώτιος ὁ ἁγιώτατος ἡμῶν πατριάρχης κληρικοὺς ἢ λαϊκοὺς ἢ τοῦ ἀρχιερατικοῦ καὶ ἱερατικοῦ τάγματος, ἐν οἵᾳ δήποτε παροικίᾳ ὑπὸ ἀφορισμὸν καὶ καθαίρεσιν καὶ ἀναθεματισμὸν ποιήσῃ, ἵνα ἔχῃ αὐτοὺς καὶ ὁ ἁγιώτατος πάπας Ἰωάννης καὶ ἡ κατ᾽ αὐτὸν ἁγία τοῦ θεοῦ τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησία ἐν τῷ αὐτῷ τῆς ἐπιτιμίας κρίματι, μηδὲν τῶν πρεσβείων τῶν προσόν-

---

Decrevit sancta et oecumenica synodos: si qui ex Italiae clericis aut laicis aut episcopis, in Asia vel Europa vel Libya commorantes, sub vinculo aut depositione aut anathemate sint a sanctissimo Papa Iohanne, ut sint isti etiam apud Photium sanctissimum patriarcham Constantinopoleos in eadem censurae definitione, hoc est aut depositi aut anathematizati aut communione privati.

Et quos item Photius sanctissimus noster patriarcha clericos aut laicos, sive pontificalis aut sacerdotalis ordinis, in quacumque diœcesi, excommunicaverit, deposuerit, aut anathematizaverit, ut habeat illos etiam sanctissimus Papa Iohannes et quae ei subiacet Ronama ecclesia, in eadem sententia censurae; pri-

των τῷ ἁγιωτάτῳ θρόνῳ τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας μηδὲ τῷ ταύτης προέδρῳ τὸ σύνολον καινοτομουμένων, μήτε νῦν, μήτε εἰς τὸ μετέπειτα.

---

vilegiis, quae sanctissimae sedi conveniunt ecclesiae Romanae, aut ipsius antistiti, nullo modo immutatis, sive modo, sive in posterum.

Actio sexta.

10 vel 12 Martio 879

An sessio sexta et septima fuerint characteris synodalis, non est certum [1]. Quia in libris polemicis dissidentium decreta sessionis sextae saepe citantur, locum famosum de prohibitione « Filioque » in lucem de novo edemus.

516 C.

οὕτω περὶ τούτων φρονοῦντές τε καὶ κηρύττοντες τὸν ἄνωθεν ἐκ πατέρων καὶ μέχρι ἡμῶν κατεληλυθότα τῆς ἀκραιφνεστάτης τῶν Χριστιανῶν πίστεως ὅρον, καὶ διανοίᾳ καὶ γλώσσῃ στέργομέν τε καὶ πᾶσι διαπρυσίῳ τῇ φωνῇ περιαγγέλλομεν· οὐδὲν ἀφαιροῦντες, οὐδὲν προστιθέντες, οὐδὲν ἀμείβοντες, οὐδὲν κιβδηλεύοντες. Ἡ μὲν γὰρ ἀφαίρεσις καὶ ἡ πρόσθεσις, μηδεμιᾶς [2] ὑπὸ τῶν τοῦ πονηροῦ τεχνασμάτων ἀνακινουμένης αἱρέσεως, κατάγνωσιν εἰσάγει τῶν ἀκαταγνώστων καὶ ὕβριν τῶν πατέρων ἀναπολόγητον.

Ita de his sentientes, et praedicantes, iam olim a patribus quae et usque ad nos descendit, purissimae fidei christianorum formulam, mente et lingua complectimur et omnibus clara voce annuntiamus; nihil detrahentes, nihil adiicientes, nihil immutantes nihil adulterantes. Detractio enim et additio, nulla existente haeresi per Maligni artes introducta, condemnationem infert eorum qui nullam merentur condemnationem, Patribusque iniuriam imponit inexcusabilem.

---

[1] Hefele-Leclercq, *Histoire des Conciles* IV, 1: 606. — [2] De sensu conditionato huius prohibitionis cf. Iugie, *Theologia Dogmatica* I, 189.

11.

Ioannes VIII Papa Photio.

Saec. XIV (?)

Haec epistola ab HERGENRÖTHER, *Photius* II, 541-44, et IUGIE, *Theologia Dogm.* I 251-254 demonstrata est ut spuria. Probabiliter ab aliquo polemista photiano primo dimidio saeculi XIV redacta est; IUGIE I 255.

MANSI XVII A 524 D, E; 525 A-E; textum BEVERIDGE in « *Pandecta canonum* II, 306 primus edidit; correctionibus, quas PAPADOPOULOS-KERAMEUS (Pravoslavnyj Palest. Sbornik XI [1892] 174-176) praebet, usus sum.

Ἐπιστολὴ τοῦ μακαρίου Ἰωάννου πάπα Ῥώμης πρὸς τὸν ἁγιώτατον Φώτιον ἀρχιεπίσκοπον Κωνσταντινουπόλεως.

Ἰωάννης ἐπίσκοπος δοῦλος τῶν δούλων τοῦ θεοῦ, Φωτίῳ τῷ αἰδεσίμῳ καὶ καθολικῷ ἀδελφῷ, πατριάρχῃ Κωνσταντινουπόλεως, χάριν ἄνωθεν πρὸς ἔργα σωτηριώδη.

Οὐκ ἀγνοεῖν συμβαίνει ἡμᾶς, ὥς τινες τῶν αὐτόθι οὐκ εἰρήνης ἄνθρωποι περὶ τῆς ἐνταῦθα ἐκκλησίας καὶ ⟨ἡμῶν⟩ αὐτῶν οὐ πρὸς ἀλήθειαν ὁρῶντες κακά τινα λέγουσι, καὶ τόσον, ὅτι καὶ τὴν σὴν ἀδελφότητα μικροῦ δεῖν οὐκ ἀγαθὰς ὑπολήψεις ἔχειν εἰς ἡμᾶς καὶ τοὺς ὑφ᾽ ἡμᾶς παραπείθουσι. Καὶ ἔστι τούτοις ἡ μὲν ἀφορμὴ

Epistola beati Iohannis papae Romae ad sanctissimum Photium archiepiscopum Constantinopoleos.

Iohannes episcopus servus servorum Dei, Photio reverendo et catholico fratri, patriarchae Constantinopoleos, gratiam caelestem ad opera salutaria.

Non ignoramus esse quosdam illic non homines pacis, qui de Ecclesia quae hic est, et de ⟨nobis⟩ ipsis ad veritatem non respicientes, mala quaedam dicunt; in tantum, ut parum absit, quin tuae etiam fraternitati non bonas habere de nobis suspiciones, et de iis qui nobis sunt subditi, persuaserint. Et est illis

τοῦ τοιούτου σκοποῦ οὐ ψευδής, καὶ αὐτὸς εἴποιμι ἂν ἐγώ· οὐ μὴν ἔχει τὰ τῆς ἀληθείας παντελῶς ἀπαραποίητα, ὡς καὶ ὁ λόγος προϊὼν παραστήσει καὶ ὁ θεὸς ἄνωθεν ἡμῖν συνεπιμαρτυρήσει, ἀλλὰ κατὰ τοὺς τὸν οἶνον καπηλεύοντας ὕδατι παραμιγνύουσι καί τινα ἀφ᾽ ἑαυτῶν ψευδοπλαστήσαντες· καὶ θαυμαστὸν οὐδέν. Δεῖ [1] γὰρ τὸν ἀπ᾽ ἀρχῆς δημιουργὸν τῆς κακίας καὶ πρὸς τὸν θεὸν στήσαντα ἔχθραν, εἶτα καὶ τὸν ἡμῶν προπάτορα τῆς τοῦ κτίσαντος ἀγάπης χωρίσαντα καὶ εἰς μισουμένου μοῖραν τῷ ποιήσαντι ἀποκαταστήσαντα καὶ νῦν τινας ἔχειν πρὸς ὑπηρεσίαν αὐτοῦ καὶ διεγείρειν τοὺς τοιούτους, ὅπως ἐκβάλωσι μέσον τῆς ἐκκλησίας σκάνδαλον.

᾽Αλλ᾽ ἐγὼ πρὸς τὸν τὴν εἰρήνην δόντα Χριστὸν ἀφορῶν ὃς καὶ τὴν ἔχθραν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ ἔκτεινεν, ὡς ἔχω δυνατὸν σπουδάσω τὰ στόματα τῶν χαιρεκάκων ἀνδρῶν ἀποφράττειν. Καὶ διὰ τοῦτο καὶ πρὸ τοῦ ὅλως τὴν σὴν ἀδελφότητα δηλῶσαί μοι τι προφθάνω αὐτὸς περὶ τῶν τοιούτων γνωρίζειν σοι, ἵν᾽ εἰδώς, ὅπως ἔχει τὰ καθ᾽ ἡμᾶς, μὴ παρέχῃς τὰ ὦτα τοῖς θέλουσι λοιδο-

---

quidem occasio talis propositi non falsa, et ego ipse affirmaverim; neque certe veritatem omnino integram continet (occasio), quemadmodum et in progressu huius orationis ostendam, et Deus superne nobis testimonium reddet. Verum, ut qui vinum aqua adulterant, miscent illi quaedam ex seipsis mendacia confingentes. Neque vero quidquam illic mirum. Oportet enim eum qui ab initio mali opifex fuit, et adversus Deum constituit inimicitias, et postea nostrum etiam primum parentem a conditoris amore seiunxit et in sortem detestabilis Creatori redegit, etiam nunc quosdam habere in in suo ministerio, quos excitet, ut in medium Ecclesiae scandalum inferant.

At ego intuens in largitorem pacis Christum, qui etiam inimicitias in carne sua interfecit, quantum possum, dabo operam, ut ora hominum obstruam, qui delectantur malis. Propterea et antequam omnino fraternitas tua significet mihi quidquam, ipse praeveniens, volo de his te certiorem facere; ut cum rescieris quomodo se res nostrae habeant, non praebeas aures his qui

---

[1] hic locus « δεῖ-σκάνδαλον » similitudinem habet cum expressionibus Photii in « Spiritus S. Mystagogia », cap. 17; MIGNE PG 102, 269; et in epistola encyclica, cap. 1 et 2; MIGNE PG 102, 722.

ρεῖν, ἀλλὰ μᾶλλον ἀποσοβῇς αὐτοὺς καὶ τοὺς ἄλλους ποιῇς μὴ ἀκούειν τοὺς λόγους αὐτῶν.

Καὶ γὰρ ἡ σὴ ἀδελφότης ἐπίσταται, ὡς ὅτε παρεγένετο πρὸς ἡμᾶς ὁ μικρῷ πρότερον ἀποσταλεὶς παρ' αὐτῆς καὶ περὶ τοῦ ἁγίου συμβόλου ἡμᾶς ἐδοκίμασεν, εὗρεν ἀπαράτρωτον, καθὼς ἀρχῆθεν παρεδόθη ἡμῖν, διατηροῦντας, καὶ μήτε προστιθέντας τι ἢ ἀφαιροῦντας, ἀκριβῶς εἰδότας, ὡς τοῖς τὰ τοιαῦτα τολμῶσι βαρεῖα καταδίκη ἀναμένουσα ἀπόκειται.

Καὶ πάλιν οὖν παραδηλοῦμεν τῇ αἰδεσιμότητί σου, ἵνα περὶ τοῦ ἄρθρου τούτου, δι' ὃ συνέβη τὰ σκάνδαλα μέσον τῶν ἐκκλησιῶν τοῦ θεοῦ, ἔχῃ πληροφορίαν εἰς ἡμᾶς, ὅτι οὐ μόνον οὐ λέγομεν τοῦτο, ἀλλὰ καὶ τοὺς πρῶτον θαῤῥήσαντας τῇ ἑαυτῶν ἀπονοίᾳ τοῦτο ποιῆσαι, παραβάτας τῶν θείων λόγων κρίνομεν καὶ μεταποιητὰς τῆς θεολογίας τοῦ δεσπότου Χριστοῦ καὶ τῶν ἀποστόλων καὶ τῶν λοιπῶν πατέρων, οἳ συνοδικῶς συνελθόντες παρέδωκαν τὸ ἅγιον σύμβολον. Καὶ μετὰ τοῦ Ἰούδα αὐτοὺς τάττομεν[1], ὅτι καὶ ταὐτὸν ἐκείνῳ τετολμήκασι, οὐ παραδόντες εἰς

---

reprehendere volunt; quin potius hos repellas prohibeasque ne illi horum sermones audiant.

Novit enim fraternitas tua quod, quando accessit ad nos qui paulo ante a te missus est, de sancto symbolo nostram sententiam perscrutatus est, et invenit nos illud illaesum servare, quemadmodum nobis a principio traditum, nihil addentes, nihil auferentes: quippequi recte noverimus quod qui talia audent, hos gravis condemnatio manet.

Iterum igitur tuae Reverentiae significamus, ut de hoc articulo, ob quem suborta sunt scandala inter Ecclesias Dei, certam persuasionem de nobis habeas, quod non solum illum non dicimus, sed etiam eos qui primum ausi sunt sua insipientia hoc facere, praevaricatores esse censemus divinorum oraculorum, theologiae Domini Christi mutatores necnon Apostolorum et ceterorum Patrum, qui synodice convenientes tradiderunt sanctum symbolum. Hos cum Iuda collocamus, quoniam idem ac ille scelus ausi sunt admittere, non quidem morti tradentes corpus

---

[1] Cf. Synodum Photianam; Mansi XVII A, 448 C; 524 C; ibidem eadem phrasis occurrit.

θάνατον τὸ κυριακὸν σῶμα, ἀλλὰ τοὺς πιστούς, οἵ εἰσιν ὡς μέλη τοῦ σώματος αὐτοῦ, διασχίσαντες καὶ διατεμόντες ἀλλήλων, καὶ οὕτως αἰωνίῳ παραπέμψαντες θανάτῳ, καὶ μᾶλλον ἑαυτούς, ὡς ἐποίησεν ὁ ῥηθεὶς οὐκ ὀρθὸς μαθητής, ἀποπνίξαντες.

Οἰόμεθα δὲ μηδὲ τὴν σὴν ἱερότητα ἀγνοεῖν, ὡς οὖσαν νουνεχῆ τε καὶ πλήρη σοφίας, ὅτι τε καὶ τοὺς λοιποὺς ἡμῶν ἐπισκόπους καταπεῖσαι οὕτω φρονεῖν, εἰς δυσχέρειαν ἡμῖν οὐ μικρὰν ἐμπίπτει, ὅτι πρᾶγμά τι θειότερον οὕτω ταχέως μεταβαλεῖν οὐδεὶς ἂν εὐκόλως δυνηθείη, εἰ καὶ βραχεῖ χρόνῳ τὴν ἔναρξιν εἴληφε, καὶ οὐκ ἔστι παγιωθὲν ἐκ πολλῶν ἐνιαυτῶν.

Καὶ διὰ ταῦτα καλῶς ἔχειν ἔδοξεν ἡμῖν, ἵνα μὴ μετὰ βίας ἀναγκασθῇ τις παρ' ἡμῖν ἐᾶσαι τὴν προσθήκην, ἥν ἔφθασεν ἐν τῷ συμβόλῳ προστεθῆναι, ἀλλὰ μᾶλλον μετὰ ἐπιεικείας καὶ οἰκονομίας παρασκευάσαι τούτους κατὰ βραχὺ παραινοῦντας ἀποστῆναι τῆς βλασφημίας. « Ποιμαίνετε [1] γὰρ τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον οὐκ ἀναγκαστικῶς, ἀλλ' ἐπιεικῶς, οὐδ' ὡς κατακυριεύοντες τοῦ κλήρου, ἀλλ' ὡς τύποι γινόμενοι », ὁ ἄκρος τῶν ἀποστόλων Πέτρος ἔφη.

---

dominicum, sed fideles, qui sunt quasi membra corporis eius, discindentes ac dissecantes invicem et sic in sempiternam mortem illos deducentes, vel seipsos potius, ut fecit praedictus perversus discipulus, strangulantes.

Arbitramur autem tuam sanctitatem non ignorare, cum sit prudens et plena sapientiae, quod reliquos episcopos nostros persuadere ut sic sentiant, non parvam prae se fert difficultatem. Rem enim adeo celeriter immutare, nemo facile potest, quamvis haud ita pridem coeperit, nec sit a multis annis firmata.

Propterea optimum nobis visum est, ut per vim nemo cogatur a nobis addimentum illud dimittere, quod iam ad symbolum adiunctum est, sed potius, ut cum moderatione et tolerantia, ad hoc faciendum mox huiusmodi homines praeparentur et sic a blasphemia abstineant. « Pascite enim qui in vobis est gregem, non coacte, sed spontanee, neque ut dominantes in clero sed ut forma facti » inquit princeps apostolorum Petrus.

---

[1] 1 Petr. V 2.

Οἱ τοίνυν οὕτως ἡμῶν κατηγοροῦντες ὡς τοῦτο φρονούντων, οὐκ ἀληθείᾳ πρὸς τὴν κατηγορίαν ταύτην κέχρηνται. Ὅσοι δὲ περὶ μὲν τῆς ἐμῆς γνώμης τοῦτο οὐκ ἀμφιβάλλουσιν, ἄλλοις δέ τισι τετολμημένον καὶ νῦν καθ' ἡμᾶς καταγγέλλουσιν, οἱ τοιοῦτοι οὐ ψευδῶς λέγουσι.

Τῇ σῇ τοίνυν ἀδελφότητι ἁρμόζει, μή τι ἔχειν καθ' ἡμῶν σκάνδαλον μηδὲ ἐκκόπτειν τοῦ λοιποῦ τῆς ἐκκλησίας ἡμᾶς τοῦ σώματος, ἀλλὰ μᾶλλον συναγωνίζεσθαι ἡμῖν μετ' οἰκονομίας καὶ ἐπιεικείας καὶ τοὺς λοιπούς, ὅσοι τῆς ἀληθείας ἐξέκλιναν, πρὸς αὐτὴν ἐπανάγειν, ἵνα δὴ καὶ τὸν ὑπὲρ τούτου μισθὸν σὺν ἡμῖν ἡ αὐτὴ ἀπολήψεται. Ἔρρωσο ἐν κυρίῳ, αἰδεσιμώτατε καὶ καθόλικὲ ἀδελφέ.

Qui igitur nos ita accusant, quasi sic sentiamus, non veritate nituntur in hac accusatione. Quicumque autem de mea sententia non ita dubitant, sed ad vos referunt quod alii ausi sunt talia committere, hi certe non mentiuntur.

Tuae igitur fraternitati convenit, ut nullum habeas adversus nos offendiculum, neque scindas nos a reliquo Ecclesiae corpore, sed potius nobiscum certes cum prudentia et lenitate etiam reliquos, quicumque a veritate declinarunt, ad eam traducere, ut etiam pro hac re mercedem nobiscum ipsa recipiat. Vale in Domino, reverendissime et catholice frater.

12.

Ioannes VIII Papa Photio

(13) Aug. 880

De pace Constantinopoli restituta et de approbatione conditionata synodi Photianae 879-80.

Caspar 227-228, Mansi XVII, 184, Migne PL 126, 910.

Hoc nostri semper certaminis et laboris fuit, hoc nostri voti existit, ut pro orthodoxae fidei integritate seu pro statu et pace omnium Dei ecclesiarum, quarum cura constringimur, adeo operam demus, quatenus dispersa congregentur, congregata conserventur et ut, quicquid inhonestum vel aliter quam

se rectitudo habet, per providentiam Dei sanctorum apostolorum meritis suffragantibus corrigatur, omni conamine iuxta officium nobis commissum speculando satagimus. Huius rei gratia more apostolico sanctae Constantinopolitanae ecclesiae misereri volentes decrevimus, ut unius incrementum nullius fieret detrimentum, quin potius omnium manifestum existeret adiutorium. Convocata nostra ecclesia, quantum ad presens tempus coegit necessitas, auctoritate et potestate apostolica iamdicte Constantinopolitanae ecclesiae consuluimus et legatis [1] nostris directis ut inoffenso pede incederent, instituimus. De cuius scilicet unitate pacis sive concordia gratulamur et cunctipotenti Domino laudes innumeras referentes, licet ei, qui tanta bona servis suis largitur, condignas grates agere non possimus, hunc benedicimus et assiduis vocibus glorificare studemus. Gloria namque sit illi et omnis laus ac virtus, cuius maiestate et semper laudabili gratia curvata ad rectitudinem reducuntur, prava diriguntur, contumacia retunditur, humilitas exaltatur, zizania quandoque velluntur, scandala amputantur et omnis bonitas augmentatur. Unde non in nobis, sed in eodem Domino gloriemur iocundemur et exultemus in misericordia eius, qui dicit [2] : « Confidite, quia ego vici mundum », et in alio loco [3] : « Sine me », inquit, « nihil potestis facere »; sed cum nos scriptis et verbis misericorditer tecum specialiter agendum esse decreverimus, mirandum valde est, cur multa, quae nos statueramus, aut aliter habita aut mutata [4] esse noscantur, et, nescimus cuius studio vel neglectu, variata monstrentur. Ceterum scribens [5] subintulisti, quod te innuente nonnisi ab iniqua gerentibus misericordia [6] sit quaerenda; quod et nos de his, qui Deum se scire non fantur, licet dispensatorie fatemur, tamen nos, quod gestum est, exaggerare nolumus, ne, quod [7] dignum est, iudicare coga-

[1] Petro Cardinali et Paulo Anconitano et Eugenio Ostiensi episcopis. — [2] Ioh. XVI, 33. — [3] Ioh. XV, 5. — [4] Papa de versione graeca adulterata epistolarum pontificiarum, in synodi Photiana 879 peracta, conqueritur. — [5] haec epistola Photii est deperdita. — [6] Photius condicioni pontificiae misericordiae in synodo petendae non satisfecit, immo epistolas pontificias circa hoc falsificavit. — [7] Cf. Simplicii papae epistolam ad Iohannem episcopum Ravenn. MIGNE PL 67, 321.

mur, ideoque talis excusatio sileat, ne hoc dicentes illa sententia tangat, qua dicitur [1]: « Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus, Deus autem novit corda vestra, quia, quod hominibus altum est, abominabile est apud Deum ». Igitur laudabilis tua prudentia, quae dicitur humilitatem scire, non moleste ferat, quod ecclesiae Dei miserationem iussa est postulare, quin potius se, ut exaltetur [2], humiliet et fraternum discat erga sui miserentem servare affectum, quia nos, si tu debitam devotionem et fidelitatis incrementa erga sanctam Romanam ecclesiam et nostram parvitatem observare studueris, te ut fratrem amplectemur et ut carissimum proximum retinemus. Nam [3] et ea quae pro causa tuae restitutionis synodali decreto Constantinopoli misericorditer acta sunt, recipimus et, si fortasse nostri legati in eadem synodo contra apostolicam preceptionem egerint, nos nec recipimus nec iudicamus alicuius existere firmitatis.

13.

Stephanus V Papa Basilio I Imperatori.

885-86.

Stephanus V contra Basilium, qui sub influxu Photii contra praedecessorem Papam Marinum accusationes scripto fecerat, electionem canonicam Marini defendit. Innixus argumentis ex Sacra Scriptura et Traditione et Historia Ecclesiastica libertatem Ecclesiae contra usurpationem potestatis saecularis defendit, monetque imperatorem auctoritate paterna, ne ecclesiam romanam aggrediatur. Simulque petit auxilium imperiale contra incursiones Saracenorum in portibus Italiae. Apponemus ex epistola locum, qui de Photio tractat. — Textus latinus originalis non est conservata in Registro Pontificio.

Mansi XVI, 420 E, 421, 424, 425 A-B. Caspar-Laehr 372-374. *De Photio*: Caspar-Laehr 374; Mansi XVI, 424 C-425 A.

---

[1] Luc. XVI, 15. — [2] Cf. Matth. XXIII, 12. — [3] Haec ultima sententia repetitur verbotenus in epistola Iohannis VIII ad Basilium I imperatorem et filios 13 Aug. 880; Caspar 230.

Τί ἡ ἁγία τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησία ἥμαρτεν, ὅτι κατ' αὐτῆς ὁρμῆσαί σε καὶ κινῆσαι τὴν γλῶτταν οἱ φθορεῖς πεπείκασι; Μὴ κατὰ τὸ ἀρχεῖον ἔθος τῶν συνόδων ἐν Κωνσταντινουπόλει οὐκ ἀπέστειλεν ἐπὶ τῆς αὐτοκρατορίας σου; Μὴ ὑπὲρ αὐτῆς τῆς συνόδου τὸν λόγον οὐ πεποίηκεν; Ἐρωτᾷς δέ, πρός τίνα ἀπέστειλεν ἡ τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησία; Πρὸς λαϊκὸν δηλονότι τὸν Φώτιον. Εἰ γὰρ εἶχες πατριάρχην, συχνότεραν ἂν ἡ καθ' ἡμᾶς ἐκκλησία αὐτὸν ἐπεσκέπτετο, ἀλλ' ὢ ὅτι ἡ τοιαύτη δεδοξασμένη καὶ ἐκ θεοῦ φυλαττομένη πόλις ἀργεῖ καὶ μόνῃ τῇ ὑμετέρᾳ βασιλικῇ παρουσίᾳ λαμπρούνεται· καὶ εἰ μὴ ὁ πόθος ὑμῶν συνεῖχεν ἡμᾶς, ὥστε φέρειν τὴν ὕβριν τῆς καθ' ἡμᾶς ἐκκλησίας, ἄρα ἂν ἠναγκάσθημεν κατὰ τοῦ παραβάτου Φωτίου τοῦ καθ' ἡμῶν τοὺς ἀθεμίτους λόγους ἐξερευξαμένου τιμωρίας πλείονας τῶν πρὸ ἡμῶν ὁρίσασθαι. Οὐ ταῦτα δὲ πρὸς ὑμετέραν ὕβριν ἀναφέρομεν — σὲ γὰρ ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ τῷ θεῷ ἠγαπημένον κηρύττομεν — ἀλλ' ἢ μόνον πρὸς ἀσφάλειαν ἡμῶν, ἐκείνου δὲ πρὸς μείζονα ὕβριν. Διὰ τὴν ὁμοφροσύνην καὶ ἰσοφροσύνην τοῦ προηγησαμένου διδασκάλου τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Νικολάου καὶ διὰ τὸ ἐθέλειν τὰ

Quid vero peccavit sancta Romana Ecclesia, ut perditi homines te impulerint, ut linguam tuam in illam exerceres et vibrares. Nonne illa pro veteri synodarum more, te imperante legatos Constantinopolim misit? Nonne pro eadem synodo magnam curam gessit? Quaeris, ad quem miserit Ecclesia Romana? Utique ad Photium laicum. Quod si patriarcham haberes, frequentius eum ecclesia nostra reviseret; sed eheu, eiusmodi tam illustrem civitatem, atque in Dei tutela sitam, pastore carere, solaque tua regia praesentia illustrari. Quod nisi nos tui amor et desiderium reprimeret, faceretque, ut ecclesiae nostrae iniuriam toleraremus, sane coacti fuissemus graviores poenas, quam adhuc est ab aliis usitatum, qui nos praecesserunt, in transgressorem Photium constituere, qui in nos tam indigna et impia convicia evomuit. Sed haec non in tuam contumeliam proferimus – te enim ubique gentium ut Deo dilectum praedicamus – sed ad nostram dumtaxat defensionem maioremque Photii ignominiam. Marinus summa pietate praeditus cum ea sentiret, ea defenderet, quae decreta erant a praedecessore nostro, doctore sanctissimo papa Nicolao, velletque illa ad unguem exequi, in summum

ἐκείνῳ δεδογμένα ἐκπληροῦν εἰς μεγίστην παρ᾽ ὑμῖν κατήντησε βραχύτητα ὁ θεόφρων Μαρῖνος καὶ διὰ τὸ ὡς εἴρηται, τοῖς ἑτεροφρονοῦσι μὴ συναπαχθῆναι καὶ τὰ παρ᾽ αὐτοῦ ἐνώπιον τῆς βασιλείας ὑμῶν συνοδικῶς πραχθέντα καταλῦσαι καὶ ἀκυρῶσαι. Ὃς δὴ Μαρῖνος καὶ διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν ἐπὶ τριάκοντα ἡμέρας ἐν τῇ φυλακῇ ἐκρατήθη εἰς δόξαν μᾶλλον τοῦτο λογισάμενος ὑπὲρ τῆς ἀληθείας καὶ οὐκ εἰς ὕβριν.

---

apud vos contemptum venit. Et quia, ut dictum est, cum iis, qui aliena sentiebant, consentire recusavit, nec acta synodica, coram tua maiestate quondam a se transacta, rescindere et antiquare voluit, ad triginta dies in carere est habitus, quod ipsum sibi pro veritate passo gloriae potius quam contumeliae duxit.

14.

Contra Primatum Papae.

Photius ca. 869 (?) opusculum *contra Primatum* composuit « *Ad eos, qui dicunt Romam esse primam cathedram* ». Hoc fuisse Photii Hergenröther demonstravit, saltem cum magna probabilitate. Refutationem argumentorum Photii invenis apud Hergenröther I, 659 sqq.; Iugie, *Theologia Dogmatica* I 119-128.

Textum graecum cum traductione latina Beveridge (*Synodicon* II, ad calcem I partis, sine indicatione pag.) edidit, textum graecum Ralli-Potli, Σύνταγμα IV, 409 sqq.; Hergenröther aliquas correctiones textus graeci fecit, quas sequar.

De doctrina Photii circa Primatum diversis temporibus diversa cf. Iugie I 119-128.

In ultimo opere Photii, *Mystagogia Spiritus S.*, Pontifices Romani Damasus, Coelestinus I, Leo Magnus, Vigilius, Gregorius Magnus et Zacharias II, Agatho, Leo IV, Hadrianus I, Benedictus III, Ioannes VIII, Hadrianus III laudantur.

ΡΑΛΛΗ – ΠΟΤΛΗ, Σύνταγμα τῶν θείων καὶ ἱερῶν κανόνων IV (Athenis 1854) 409 sqq.

1. Εἰ ἡ Ρώμη, ὅτι ἐδέξατο τὸν Κορυφαῖον ἐπίσκοπον, πρώτη, ἡ Ἀντιόχεια μᾶλλον ἕξει τὸ πρωτεῖον· καὶ γὰρ ἢ πρὸ τῆς Ῥώμης ὁ Ἀπόστολος Πέτρος ἐπεσκόπησεν ἐν Ἀντιοχείᾳ.

2. Ἔτι εἰ διὰ τὸν Κορυφαῖον τῶν Ἀποστόλων ἡ Ῥώμη... καὶ τὸν μαρτυρικὸν πρώτως τελειώσαντα δρόμον, πολλῷ δικαιότερον τὰ Ἱεροσόλυμα τῆς Ῥώμης πρωτεύειν.

3. Ἔτι, εἰ ἀπὸ τῆς τῶν προσώπων ποιότητος τὸ πρωτεύειν τοῖς θρόνοις περίεστι, πῶς οὐ λαμπρῶς κατὰ πάντων τὰ Ἱεροσόλυμα τὸ κράτος ἕξει; Αὐτὸς γὰρ ὁ καὶ Πέτρου καὶ ἡμῶν ἁπάντων κοινὸς πλάστης καὶ δεσπότης ὁ πρῶτος καὶ μέγας Ἀρχιερεύς, ἡ πηγὴ πάσης ζωῆς καὶ ἀρχιερατικῆς τάξεως, ἐν αὐτοῖς καὶ τὴν γέννησιν καὶ τὴν διατριβὴν ἔσχε, καὶ ἑαυτὸν ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου σωτηρίας ἑκὼν ἱεράτευσεν.

4. Ἔτι εἰ διὰ τὸν Κορυφαῖον ἡ Ῥώμη ζητεῖ τὸ πρωτεύειν, δι' Ἀνδρέαν τὸν Πρωτόκλητον, καὶ γενέσει πρότερον ἀδελφόν, τὸ Βυζάντιον πρῶτον. Οὐκ ὀλίγοις γὰρ ἔτεσι τοῦ Βυζαντίου τὴν

---

1. Si Roma, quod Coryphaeum episcopum accepit, est prima, Antiochia potius habebit primatum. Etenim apostolus Petrus priusquam Romae, Antiochiae fuit episcopus.

2. Adhuc: Si propter Apostolorum Principem Roma prima est, aequitati multo magis consentaneum est Ierusalem prae Roma primas tenere propter eum, qui, primus omnium, martyrii cursum consummavit.

3. Adhuc: Si ex personarum qualitate primatus sedibus inest, quomodo non splendide supra omnes Ierusalem imperium obtinebit. Ipse enim et Petri et omnium nostrum conditor ac Dominus, primus et magnus Pontifex, omnis vitae fons pontificalisque dignitatis, ibi et natus et commoratus est, et semetipsum pro saluti mundi sacrificavit.

4. Adhuc: Si propter Coryphaeum Roma quaerit principatum, propter Andream protoclitum et natu maiorem fratrem, Byzantium prima sedes. Etenim non paucis annis prius Byzantii

ἐπισκοπὴν [1] ἔφθασε προλαβών, πρὶν ἢ τὸν ἀδελφὸν Ῥωμαίων ἐπισκοπῆσαι.

5. Εἰ δὲ προφέρεις μοι τὸ [2], Σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, καὶ τὰ ἑξῆς, ἴσθι ὡς οὐ διὰ τὴν ἐν Ῥώμῃ ἐκκλησίαν εἴρηται· ἄπαγε· ἰουδαϊκὸν γὰρ τοῦτο καὶ ταπεινόν, τὴν χάριν καὶ τὴν θειότητα αὐτῆς μέρεσί τισι καὶ τόποις περιγράφειν, ἀλλὰ μὴ ἀνὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην ὁμοίως ἐνεργεῖν. Ἀλλὰ καὶ τό, ἐν ταύτῃ τῇ πέτρᾳ, πῶς ἄν τις κἂν λίαν θρασὺς ᾖ, καὶ τὸ μὴ αἰσχύνεσθαι κλέος ἔχων, ἐκβιάσοιτο ἐπὶ τῆς ἐν Ῥώμῃ ἐκκλησίας εἰρῆσθαι; Εἴρηται δὲ δῆλον ἐπὶ τῇ θεολογησάσῃ τὸν Χριστὸν ὁμολογίας πέτρᾳ, καὶ δι' αὐτῆς ἐφ' ὅλῃ τῇ εἰς τὰ πέρατα τῆς γῆς ταῖς διδαχαῖς τῶν ἀποστόλων ἐξαπλωθείσῃ καὶ θεμελιωθείσῃ ἐκκλησίᾳ, εἰς ἣν καὶ τὸ πανάγιον Πνεῦμα διὰ τῶν προφητικῶν σαλπίγγων κατὰ τὴν ὑφήγησιν τοῦ ἱερωτάτου καὶ σεβασμίου ὅρου ἀνομολογοῦμεν λελαληκέναι, τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν προφητῶν ἱερολογοῦντες εἰς μίαν

---

episcopatum praeoccupavit sanctus [Andreas] quam eius frater Romanorum episcopus esset.

5. Si mihi affers: illud « *Tu es Petrus et supra hanc petram aedificabo ecclesiam meam* etc. » scito, quod haec non propter ecclesiam romanam dicta sunt, absit; iudaicum enim hoc est et sordidum gratiam divinam circumscribere regionibus quibusdam et locis, atque contendere eam non per universam terram similiter suam sortiri efficaciam. Sed et illud « *Super hanc petram* », quis unquam, quamvis procacissimus et impudentiae nomen adeptus, in romanae Ecclesiae commodum detorquere audeat? Manifestum est enim haec fuisse dicta de confessionis petra divinitatem Christi professa, et per eam de universa Ecclesia usque ad ultimos terrae fines Apostolorum praedicatione dilatata ac fundata; propter quam et Spiritum S. per propheticas tubas ad normam sanctissimae et venerabilis definitionis locutum fuisse, confitemur, sicut inter sacra dicimus: *Qui locutus est per pro-*

---

[1] Cf. *Bibliotheca*, cod. 280, Migne PG 104, 328 D. — [2] Matth. XVI, 18.

καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν, οὐ Πετριανὴν ἢ Ῥωμαϊκήν, ὡς τὸ φιλόκενον τῆς Ῥωμαϊκῆς ἀπαιδευσίας βούλεται.

6. Ἔτι, εἴ τις ἐξ οὗ ἔδοξεν ἡ Ῥώμη προὔχειν ἐπισκέψαιτο, ἄλλοθι γὰρ ἐξ ὧν εἴρηται οὐκ ἔστιν εὑρεῖν, εἰς τὸν ἔσχατον αὐτὴν βαθμὸν μόλις αὐτὴν συγχωρήσει, εἴπερ Ἑλλήνων ψῆφος ἐν ἐκκλησίᾳ θεοῦ παντελῶς ἄτοπος· Αὐρηλιανοῦ γὰρ τοῦ τὰ Ἑλλήνων θρησκεύοντος (ἐβασίλευσε δὲ κατ᾽ ἐκεῖνο καιροῦ τῆς Ῥώμης) τούτου κρίσει σεμνύνεσθαι αὕτη λάβοι τοῖς πρωτείοις. Ἔτυχε μὲν γὰρ οὗτος ὁ Αὐρηλιανὸς ἐπὶ στρατείαν ἀνιών, καὶ τὴν Ἀντιόχειαν παροδεύειν, τὸν δὲ Σαμοσατέα Παῦλον, ὃς ἐπεσκόπει ταύτης, ψήφῳ τῶν ἀθροισθέντων ἐπισκόπων καὶ τῆς τιμῆς τῶν ἱερέων καὶ τοῦ θρόνου διαπεπτωκέναι, καὶ στασιάζειν, καὶ βιάζεσθαι ἐπαναλαβεῖν τὰ ἀφῃρημένα, μὴ συγχωρεῖν δὲ τοὺς ἀφελομένους. Πολλῆς δὲ τῆς μεταξὺ ἔριδός τε καὶ φιλονεικίας ἀτόπου ῥαγείσης, ἑκατέρα μοῖρα πρὸς μόνην λοιπὸν ἀπέβλεπε τὴν κοσμικήν τε καὶ βιάσασθαι δυναμένην χεῖρα, οἱ μέν, ὅπως παύσωσι τὴν τυραννίδα Παύλου, ὁ δέ, ὅπως σχοίη καὶ τὰς ἐκείνων

---

phetas, in unam catholicam et apostolicam Ecclesiam non petrinam vel romanam, ut vult romanae inscientiae vanitas.

6. Adhuc, si quis considerat, ex quo Roma primatum habere visa est (aliunde enim, a quibus habuisse dicitur non invenire est) in ultimum gradum vix concedet, si quidem Gentilium suffragium in Ecclesia Dei omnino absurdum est. Aureliani enim paganam religionem colentis (quippe qui tunc tempus Romae imperabat) iudicio, ea principatum accepisse videtur. Contigit enim hunc Aurelianum ad exercitum tendentem per Antiochiam iter facere, Paulum autem Samosatenum loci illius episcopum, iudicio episcoporum congregatorum tum honore sacerdotali tum throno depositum, seditiose et per vim contendere, ut quae sibi ablata erant, recuperaret, hosque, qui eum deposuerant, id ei non concedere. Magna interea contentione et rixa absurda erumpente, utraque pars tandem ad potentiam mundanam, eamque quae coercere poterat, respexit, hi ut Pauli tyrannidem sisterent, ille vero, ut eorum suffragia irrita faceret, et patrum sanctione impune violaret. Indigent itaque, necessitate

ψήφους ἀθετεῖν, καὶ τυραννεῖν ἀδεῶς θεσμοὺς πατρῴους. Δέονται οὖν, τῆς χρείας βιαζομένης, εἰ καὶ ἀνὰ μέρος καὶ χωρίς, ἑκάτεροι τῆς βασιλικῆς συνεργείας· ὁ δὲ τὰ μεταξὺ παρίσως μὴ συνιέναι φάμενος, ὅσα ἐν σφίσι διαφιλονεικοῦσι, ὥστε μηδὲ τῶν παρ᾿ αὐτῶν δικαίαν ἔχειν τὴν γνῶσιν, ἐπὶ τὸν Ῥώμης ἄγειν τὴν δίκην ἐκέλευσε [1], καὶ στέργειν μὴ βουλομένους ἃ ἂν ἐκεῖνος δικάσειεν, ἤδη μέχρι τούτου καὶ τούτου πεπεισμένος ἄλλοθεν ὡς τῆς αὐτῆς θρησκείας, καθεστήκει ἐν Ῥώμῃ, οἷς καὶ δόξειε τὰ πρῶτα φέρειν τοῖς ὅλοις, καὶ εἰς τυραννίδα πάντων τὴν ἀρχιερωσύνην προβάλλεσθαι. Τοῖς δέ γε Χριστοῦ μαθηταῖς καὶ τὸ Χριστιανοὺς εἶναι μὴ καταψευδομένοις, πῶς ἂν εἴη περὶ πρωτείων ἀγών, καὶ τότε ἱερεῦσιν οὖσι; Τὸ δὲ [1] Ὅστις θέλει ἐν ὑμῖν εἶναι πρῶτος, ἔστω ὑμῶν διάκονος, ποῦ θήσομεν; [2]

cogente utrique (utraque pars), seorsim licet, auxilio imperatoris. Ille autem, sese ea de quibus contendebant non intelligere affirmans, utpote quod non earum rerum notitiam haberet, ad episcopum romanum causam afferre iussit; eosque, recusantes licet iis stare, quae romanus episcopus iudicaret, quippe qui antea, cum eiusdem religionis esset, eius rei aliunde notitiam habuit, ad Romam adduxit, iisque idcirco videbatur ei primas dedisse, et in omnium tyrannidem pontificatum asseruisse. Christi vero discipulis, et qui professionem christianam non dementirentur, maximeque sacerdotibus quomodo de primatu contentio esse poterit? Et illud, *qui voluerit inter vos primus esse, sit vester minister,* ubinam ponemus?

---

[1] Luc. XXII, 26.

[2] Photius alias difficultates contra Primatum ex Conciliis oecum. et particularibus, ex historia ecclesiastica adducit, in quibus vera falsis admiscet vel male interpretatur, inprimis contra synodum Sardicensem arguit. Cf. Jugie, *Theologia Dogmatica* I 132 sqq.

Similia argumenta Photius in scripto « *De metropolitis et episcopis* », inprimis in quaestione I et II profert. Migne PG 104, 1220 sqq. Refutationem Photii habes apud Hergenröther, *Photius* II, 558 sqq.

INDEX DOCUMENTORUM

TEXTUS ET DOCU

SERIES PHILOSOPH

1. **De Platonis doctrina circa animam.**
Textus selecti (J. Souilhé). in-8°, pp. 84, 1932 - Lire 6.
2. **De origine formae materialis.**
Textus antiqui et recentiores (P. Hoenen). in-8°, pp. 88, 1932 - Lire 6.
3. **De principiis ethicae socialis.**
Documenta ultimorum Rom. Pontificum (G. Jarlot). in-8°, pp. 82, 1932 - Lire 6.
4. **Quinque viae S. Thomae ad demonstrandam existentiam Dei, apud antiquos Graecos, philosophos Arabes et Iudaeos praeformatae vel adumbratae.**
Textus selecti (P. Arnou). in-8°, pp. 104, 1932 - Lire 6.

— **De existentia et natura Dei secundum idealismum italicum.**
T A).

— **S.**
E lis
(

— **K** **n**

— **D**

— **S** **d**
n

— **T**).

es

speci

1. **De Spiritu Sancto anima corporis mystici.** — I. Testimonia selecta e Patribus Graecis (S. Tromp). in-8°, pp. 64, 1932 - Lire 4.
2. **S. Augustini: De Correptione et Gratia.** — Editio aucta introductione, notis, textibus parallelis (C. Boyer). in-8°, pp. 64, 1932 - Lire 4.
3. **De obligatione catholicorum perseverandi in fide suscepta.** — Documenta Vaticana (H. Lennerz). in-8°, pp. 68, 1932 - Lire 4.
4. **De ordaliis.** — I. Decreta R. Pontificum et Synodorum (P. Browe). in-8°, pp. 48, 1932 - Lire 4.
5. **De frequenti communione in Occid. usque ad a. 1000.** — Documenta varia (P. Browe), pp. 84, 1932. L. 6.
6. **Photius et Ecclesia Romana.** — Documenta notis illustrata (G. Hofmann). I: Primus Patriarchatus Photii, pp. 68, 1932 - Lire 4.
7. **De Spiritu Sancto anima corporis mystici.** — II. Testimonia selecta e Patribus Latinis (S. Tromp). in-8°, pp. 54, 1932 - Lire 4.
8. **Photius et Ecclesia Romana.** — (G. Hofmann). II. A Synodo Romana (869) usque ad depositionem Photii (886), in-8°, pp. 52, 1932 - Lire 4.
9. **S. Leonis Magni Tomus ad Flavianum episc. Constant.** — Editio nova gr. et lat. notis illustrata (C. Silva Tarouca). in-8°, pp. 68, 1932 - Lire 4.

— **De Potestate Ecclesiae in temporalia.** — Documenta ecclesiastica (R Leiber).

— **Ordo communis missae cum anaphora S. Iacobi secundum ritum ecclesiae Antiochenae,** nunc primum e Missali Sarfensi a. 1922 latine redditus (I. Hanssens).

— **S. Cyrilli Alex. Apologeticus contra Theodoretum pro XII capitulis.** — Editio notis illustrata (L. Lohn).

— **De conatibus unionis inter Anglicanos et Graecos dissidentes.** — Documenta recentiora authentica (D. Nerney).

— **De origine interdicti.** - Documenta varia (G. Richter).

— **De communicatione idiomatum Christi et membrorum in corpore mystico.** — Documenta patristica (S. Tromp).

— **De inquisitione et processibus strigarum.** — Textus selecti (R. Leiber).